ASINVS PALMATVS,
SEV
PÆDAGOGVS HALENSIS
SIGISMVNDVS EVENIVS FVRENS
IN
TYRANNIDE PONTIFICIA SECVLARI
ADVERSVS
Cartusia Vocis Angelorum
P. ADAMVM CONTZEN,
SOCIETATIS IESV THEOLOGVM ET PROFESSOREM ORDINARIVM IN CATHOLICA ELECTORALI ACADEMIA MOGVNTIACA,

Ad fustuarium remissus

AMPLISSIMIS CONSVLTISSIMIS DOMINIS, CONSVLIBVS, SINDICO, SENATORIBVS

REIP. MAGDEBVRGENSIS;
A
MARCELLO FRANCKHEIMO IVRECONSVLTO.

MOGVNTIÆ,
TYPIS BALTHASARIS LIPPII.
ANNO M. DC. XX.

IOB CAP. 6. §. 5.

Nunquid rugiet Onager, cum habuerit herbam?
Aut mugiet bos, cùm ante præsepe plenum steterit?

AMPLISSIMIS SPECTATISSIMIS
CONSVLTISSIMIS VIRIS

DOMINIS CONSVLIBVS, SYNDICO ET SENATORIBVS,

Perantiquæ Reipᵘᵇ Magdeburgensis Dominis honore debito prosequendis.

S. P. V. N.

COMPERTVM habemus, abillis, qui rem tractant litterariam, siue diuinam, siue humanam; quantum in alterutra disciplina scientiæ consecuti sunt, vel se consecutos autumant, non ad vnum finem dirigi. Sanctus Bernardus quatuor istiusmodi finium meminit, vbi ait quosdam esse, qui scire volunt, vt sciant: alios, vt vendant scientiam; alios vt sciantur: alios vt ædificent ædificenturque. Primi ordinis homines arguit curiositatis: Secundi, cupiditatis: tertij, vanitatis; postremum vnicum probat, à caritate & prudentia. In primum ordinem grauis est Magni Augustini inuectiua, vbi ait:

In Cant. Canic.

De Gen. contra Manich. l. 1.

ait; *Compescat se humana temeritas, & id quod non est, quærat; nec illud quod est, non inveniat.* Periculosum hoc vitium est curiositatis, eo quod in verbis vitæ, vt loquitur Richardus de S. Victore, lucra mortis non rarò negotiatur: sed contemptibilius atque abiectius alterum cupiditatis, quo studium sapientiæ fit mercenarium, & ordine præpostero bonum internum & nobilissimum, dirigitur ad externum & vilissimum. Tertij sunt ordinis homines, qui omne studium in hoc collocant, vt sciantur, quibusque nihil aliud pulchrum est, quàm

Serm. quodam.

—— digito monstrari & dicier, hic est:

Vanioresne sint existimandi, an miseriores, haut mihi promptum aut pronum satis dicere. Vt enim vanitatis est maximæ, hominem aliqua sui ingenij existimatione, ad nimium sui amorem exstimulari, ac iudicare id suum, & de proprio peculio castrensi esse, quod prorsus est profectitij & Dominici peculij: (quid enim habemus, quod nostrum est?) non secus atque phrenetici solent, qui, dum illos ludit amabilis illa insania, quæ aliena sunt, omnia sua putant: sic insignis est miseriæ, non alio fine litteras tractare, quàm gloriolæ cuiuspiam aucupandæ gratiâ: nunquam enim præstare possunt, vt malè non audiant; quod illis hominibus, qui sapere, præ alijs, sese arbitrantur, supplicium prorsus est intolerabile, donec in vivis agunt: post mortem verò vt melius audiant, efficere nequeunt: si verò quid boni, quod rarum est, & paucis contingit, homines sensuri sunt de illis, postquam vita defecerunt, non possunt consequi, vt tum ad se pertineat. Ex quibus sequitur, falli omnes illos homines, præter hos qui in ordine quarto, quem ex S. Bernardo locauimus, hoc agunt, vt ædificent ædificenturque; à caritate & prudentia communi fauore prosequendi: nempe hoc nomine, quòd scientiam suam, in Deum ordinant: purgatoque, ab omnibus terrenis sordibus, animo, omnes rerum subterlunarium affectiones, earúndemq; causas procul à se spernunt: reparatisq;, per Christi gra-

ſi gratiam, diuinis alis geminis, Fidei & Amoris, quas fœdo lapſu Adamus tregerat, ſpe viam tranſnaturalem præeunte, beatarum Mentium ſpectaculo

(---- procul ô procul eſte profani!)

quà fas eſt in hac militante Eccleſia, circa Boni ſummi contemplationem fruuntur. In hoc ordine primi ſunt facilè, hac noſtra tempeſtate, (quorum virtus hoc bello ſacro & ſeculari, tantum præ cæteris, qui ſuis ſtipendiis propriis militant Eccleſiæ Catholicæ Romanæ, enituit excelluitq;

Quantum lenta ſolent inter viburna cupreſſi:)

Theologi, qui celeberrimo illo titulo Societatis IESV inclaruerunt ſingularem, & planè ſtupendum in modum. quam Societatem, ego Legionem Romani nominis ac ſociorum, *Fulminatricem.* μεγαροβόλον dicere ſoleo: de qua præſtat tacere, quàm pauca dicere. Hoc coram vobis quoq;, Viri Ampliſſimi, ſaltem hîc obiter liceat; Familiam illorum, quos Ieſuitas vocatis, tanto eatiorem eſſe Deo Mentibusq; ſeparatis, quanto acerbior ei eſt aduerſus hoſtem qualemcunq; Romani nominis, auctoritas; quantoq; violentius odium ſuſtinet, ex malitia Nouatorum; qui cum frontes Ieſuitarum matutinas vigiliasq; haut rectè intueri poſſunt, non aliam rem faciunt, quàm vt apud bonos, habeantur falſorum rumorum, criminumq; de Ieſuitis malè conſutorum architectones infrunitiſſimi; interea dum Ieſuitæ, Deo puraq; conſcientia freti, inſuperque habitis qualiumcumque calumniatorum offuciis, auſu planè ſtupendo, labore incredibili, ſucceſſu prodigioſo, nõ tantùm orbem hunc noſtrum, ſed & alterum, huiuſque noſtri

Extra anni ſolisq; vias,----

inauditis victoriis peruagantur; nec anguſtioribus terminis patiuntur includi Domini ſui IESV ſigna & inſignia, quàm quibus Solis curſus continetur. In illa ſocietate, inter viros publicis ingenij monumẽtis celebres, peregregij nominis eſt Theologus Adamus Contzen, qui anno ſuperioris 1619. eorondem

nidem omnium Iubilorum Anno ſeculari Lutherano-Caluiniano-Euangelico ſcriptorum edidit, pro aſſertione fidei Catholicæ: & inter alios Prædicantes quoſdam, (homines, vbi Pontificem Romanum, clamant Antichriſtum & Eccleſiam Romano-Catholicam eſſe meretricem illam, in Apocalypſi depictam, &c. fraudulentiæ, perfidiæ, malitiæ, confidentiæ pleniores

Quàm, magno vento, plenum eſt vndarum mare;)

Sigiſmundum Euenium pædagogũ Halenſem veſtrũ, vbi non modio neq; trimodio, verum toto horreo, monſtroſiſſima effundit mendacia, leniſſimè (prouoco ad illa, quę ad illud euincendum exſcripta ſunt:) calumniarum & mendaciorũ arguit. mẽdaciſsimumq; pædotribam, ex proprijs affannijs ſuis, quas effutiuit, manifeſtiſsimè conuicit falſitatis ſtolidiſsimæ. quo nomine, cum ad ſaniorem mentem ſe debuerit recipere, nihil minus ex re ſua eſſe putauit, quã ſilentii inuolucro ignominiã velare: ſed publicam maledicendi cenſuram iterum ſubire maluit, quàm ſemel malè audire. Reſcripſitq; hoc fine, nuper libellum famoſum, vt leniter dicam, omnis vitii probriq; pleniſsimum, & Magiſtratus veſtri nomen, Viri Ampliſsimi, illo ſarraco conuitiorum turpiſsimè contaminauit, cui titulum præfixit (*Tyrannidis Pontificiæ Secularis demonſtratio Apologetica*, & cæt.) dignum viroſa illa ſeculari ſua palma: à qua arbore pædagogum veſtrum dixi Aſinum Palmatum: quod an iniuria fecerim, Vobiſcum, Ampliſsimi Domini, iudicabunt æqui rerum arbitri, qui legẽt, quod ſtrictim hoc libello repoſui. Catholicam fidem qui tenet, & veritatem, (quæ extra illam fidem, in ſalutis æternæ myſterio nulla eſt,) qui colit, an æquiori animo, quàm ego feci, tot decumanorum mendaciorum non dico centurias, ſed myriadas ferre debeat, ipſi pronunciate? Qui Romanum Epiſcopũ Dei & B. Petri vice, in Eccleſia Oecumenica ſupremum & indeclinabilem judicem, eundemq; ab omnibus, qui ſe Chriſti nomine inſigniunt, vt caput Eccleſiæ

siæ aspectibilis, colendum iudicat, an moderatior esse teneatur, in illos, qui hunc ipsum, non tyrannũ modo, & animarum latronem, sed Antichristum appellant, Vos ipsi decidite. Qui Ecclesiam Romano-Catholicam, tot Imperatorum, tot Regum, tot Sanctissimorum Patrum, Virginumq; diuinissimarum Matrem Sãctissimam credit, an stilo frigidiori petere debuerit illum, qui istam vocat Thaidem, vel meretricem Babylonicam, ipsi vestris suffragiis definite. Corrigendus est, qui peccat (ait Seneca) & admonitione & vi, & molliter & asperè, meliorq; tam sibi, quàm aliis faciendus, non sine castigatione, sed sine ira. Fecit illud Adamus Contzen, in sua Coronide, quam dixi. nec illi cui medebatur, iratus fuit. nec fuit annumerandus iratis, qui pœnam exegit, non ipsius pœnæ auidus, sed quia sic oportebat, pro bono Ecclesiæ. quid profuit, primã contumeliam tam leniter castigando? inuitauit nouas plurimas; quarum promulsidem vobis apposui. Rectè Salomon; *Non amat pestilens eum, qui se corripit, nec ad sapientes graditur.* qua de causa, non defuerunt, qui hominem illum tenebrionem stultitiæ suæ relinquendum censebant; hoc dicto; *Ne respondeas stulto iuxta stultitiam suam, ne efficiaris ei similis*; itemq; altero; *Vir sapiens si cum stulto contenderit, siue irascatur, siue rideat, non inueniet requiem.* Sed cum & ex aduerso essent, qui iisdem non Ammonis cuiuspiam, sed Salomonis oraculis opponerent; *Respondendum stulto iuxta stultitiam suam, ne sibi sapiens esse videatur*; itemque isto; *Flagellum equo, & camus asino, & virga in dorso imprudentium*; & mihi forte in mentem veniisset dicere, non respondendum istiusmodi pædotribæ, quia Cleon ira Cæsaris indignus esset, sed Dominis Magdeburgensibus strictim ostendendum Halensem asinum; quàm flagitiosè nomina illorum, tam fædo libello inquinasset; non displicuit consilium, & mihi datum hoc negotij, vt Iureconsultis Consulibus & Senatui Magdeburgensi Iureconsultus responderem, quod non abs re fore arbitrarer.

Cap. 15. Prou. 26. Cap. 29.

Suscepi

Suscepi raptim; præcipitataque paucularum diecularum opella, perfeci; hoc nomine potissimùm, ne ipse Adamus Cõtzen, cum sacras manus tam fœdis impurissimi pœdotribæ sordibus profanaret; tum ne vel tantillum abrumperet, à relustratione suorum Politicorum, quæ typothetæ iam sunt tradita, vt, cum bono Deo, & vtilitate publica, nundinis proximis autumnalibus, ad bonos dimanẽt: & ad vos etiam, Viri Amplissimi; quos omne id temporis, quod curæ popularium subduxeritis, isti operi euoluendo inpendisse, me idoneo hîc vobis sponsore, non pœnitebit. Testor omnes bonos, sine vlla ira fecisse, quod feci. Inbecillia enim & mollicula animalia, cum tanguntur, lædi se putant: & mures ac mustelæ, si manum admoueris, ora & dentes obuertunt. Nobilis fera minusculorum catellorum baubatus gannitusque, veluti secura, spernit: ita ego palmatum illum Asinum leui fustuario abegi.

Persius.

Si petulans Cynico barbam Nonaria vellat;

Sapiens ille petulãtiam, non vindicaret vt acerbam iniuriam; nec illam diobolarem vel alicariam meretriculam, aliquo malo vel pœna admonerer; quia ipse accepisset contumeliam; sed quia fecisset illa & aliquo pugni vel pedis impulsu repelleret, quo barbã vellere desineret. simile feci: & petulcũ illud pecus Halẽse aliquo, ni fallor, verbere, domui; non vltus Adamũ Contzenum: hoc enim ipso, si contumeliam vindicarem, aliquid honoris viderer illi habuisse, qui fecisset. At noster ille, quem dixi, maior est omni contumelia Theologus. vt equo vel mulo refractario, qui vel sessorem me recusauerit, vel insidentem ferre nolit, non irascerer; sed vel scutica vel calcaribus impactis vincerem contumaciam: sic asinum palmatum aliquot tonsillis, à calamo inhibui; & animal istiusmodi, non tractandis litteris, sed clitellis gestitandis natum, intra pædidissimum illum puluerem Halensem volutari iussi: ne boni viri extra illum collutularentur. nec leuidensiori scutica potui tangere talem fruticem, tale germen, quale dixi esse, & vos

esse

esse peruidebitis. Pacē, Viri Amplissimi, ex imperij Romano-Germanici legibus sacrosanctam habemus vobis cum Lutheranis; & fatetur ipse pædagogus vester pędidissimus, *pagina 24. tyrannidis suæ Pontific. secul. sanctionis illius religiosæ auctoritatem sacrosanctam esse merito debere.* quo, inquam, ergo priuilegio Lutherano-Euangelico fas est Prædicantibus & pædagogis vestris, istiusmodi famosos libros & picturas spargere? quibus omnium Pontificum, Imperatorum, Regum Christianissimorum, Catholicorum; aliorum Sereniſſimorum Regum, Archiducum, Principum majestas tam atrociter læditur, omnis ordo Catholicus tam grauiter offenditur, vt hic locus non capiat omnia crimina, quæ seditiosi Gracchi vestri falsò & perfidè omnibus prope nundinis extrudunt. Martianus Imperator *leg. nemo 4. Cod de summa Trinit. & fide Cathol.* edicto sanxit, ne, de fide Catholica, publicè disputaretur: quòd periculosa æque atque temeraria videretur, de rebus, quas certò indubitateque oportet credere, controuersia. quæ lex, si non dormiuisset, non vidissemus Germanicas, Gallicas, Belgicasque illas tragœdias, quarum catastrophen hodie videmus in Hungaria, Bohemia, Austria circumuicinisque prouincijs. Beneficio Caroli V. & successorum, homines Augustanæ illius fidei professores, habent liberum opinionis suæ exercitium. Sed quid? an posito concessoque illo opinationis illius secularis (non dico fidem, quia hæc est immutabilis,) exercitio, etiam furor ille ponendus est, quo grassantur, in eius successores, à quo indultum fuit illud priuilegium? vt beneficiarius vel cliens, ab officio suo declinans vel delirans; cadit beneficio. *§. fin. per quos fiat inuest. l. 2. tit. 3. Feud. §. ill & alia, quæ fuit prima cauſ. benef. amitt. l. 2. tit. 24.* quidni tale quid esse debeat in sanctione pacis illius religiosæ? Quod si accusare non licet alumno eum, apud quem est instar filij enutritus, *l. iniquum C. qui accuſ. poſſ.* & inter causas legitimæ exheredationis est ingratitudo, qua filius patrem in criminalibus

cauſis accuſauerit, § *cauſas. Auth. vt cum de appell cog coll. 8.* tum etiam donatio, à patre, facta filio reuocatur, ſi filius illi periculum aliquod vitæ intulerit *l. fin. C. de reuoc donat.* quod & in matre locum habet, etſi quoque ad ſecundas nuptias peruenerit; *auth. quod mater. C. eod.* quid veſtris fiet Prædicantibus? qui, vt ex equorum ſtercoretis ſcarabæi, ſic è vitijs quibuſdam monaſticis, proſeminatore Luthero prognati, ad inſtar Chami illius nefarij, turpē proſtibularem q; malè feriati vnius itē q; alterius monachi nundinationem, qua, per ſcelus, quod abominamur, & Simoniam dicimus, criminum expiationes venales circumtulerunt, ceu pudorem Eccleſiæ Matris pudiciſſimæ, ſanctiſſimæq; detectum, nequiter riſerunt, nec ad exemplum Semi & Iapheti obuelarunt? Vnicus ille Caritatis Doctor, præ omnibus Apoſtolis, Deo cariſſimus præcipit, ne hæreticos in domum recipiamus, nec AVE illis dicamus, addita hac gnome: *qui dicit eis* AVE, *communicat operibus eorum maligni*s. at nos, non tantùm illo tralatitio humanitatis ciuilitatiſve officio, ac perfunctoria ſalutatione ac ſermone dignamur veſtros Prædicantes; ſed etiam Vota, pro ſalute illorum, Deo nuncupamus; qualibuſcū q; officiis caritatis illos deuincire nobis ſtudemus; at illi, dum maximè curamus illis cerebrum, quod furioſi in medicos ſolent, tum quantiſcun q; poſſunt maximis Eumenidum copiis Eccleſiæ hîc militantis noſtræ caput petunt. Eumenides dixi: vel quæ laruæ ſint aliæ, quæ illos ſtimulant, vt Antichriſtum clament illum, cui totum hoc, velint nolint, acceptum ferre debent, quod Chriſtiani vocantur? Inmane enim eſt, quantum illud diſcrepat à ſpiritu Apoſtolico. Cum Princeps ſacerdotum Ananias præciperet ſuis, vt percuterent os Pauli: etſi Apoſtolus, rei indignitate motus, quod ille qui ſecundum legem iudicare debebat, contra legem ſe percuti iuſſiſſet, τοῖχον κεκονιαμένον dixiſſet; tamen è veſtigio, poſtquam intellexiſſet, quis eſſet Sacerdos, etſi iam tùm ſacrificia illius erant abolita, retractauit, οὐκ ᾔδειν, ἀδελφοὶ, ὅτι ἐστὶν ἀρχιερεύς. *Scriptū eſt*

Act. v. 13.

Murum dealbatum. Ignorabam, fratres, quod eſſet ſummus ſacerdos.

est enim: Principi populi tui non maledices. At qui homines sunt vestri Prædicantes illi? Alastores, exoletarum hæresium interpolatores desperatissimi; pacis publicæ turbatores, quos fuscinis ex bene constituta Republ. ejici oporteat, quorumque libri, vt ignis è manibus, in ignem abijciendi sunt. Liceat, inquam, mihi pace vestra, Amplissimi Domini, petere, qui sint homines illi, terræ omniparentis alumni? qui nos omnes clamant Antichristi mancipia, ϗ ϛιγῶνας δούλους bestiæ illius Apocalypticæ? qui ceu per ludum & jocum vernilē omnia sacrosancta Conciliorum œcumenicorum decreta vellicant, & refigunt? *Notis compunctos seruos.*

—— quos cepit vitrea fama,
Hos circumtonuit gaudens Bellona cruentis.

Vnum seculum habent, quod à Lutherifugio numerant. Antestor fidem vestram, & prudentiam: vbi maiores illorum delituerunt tota quindecim sæcula? à Christi natalitiis ad Lutherifugium? Sciendum est, Viri Amplissimi, Christi sponsam castissimam non potuisse tot seculis latére, in abysso, nescio quâ sepultam, vt Ionas triduum in ventre piscis delituit. nunquam, post Christum natum, adeò lumen Ecclesiæ obscurari, vel portæ eius, vi inferorum, sic occludi potuerunt, vt gentes illud nō potuerint videre, & per istas, qui vocati fuerunt, non ingredi: quod ex ipsa gentium conuersione luculentum est. Videte, obsecro, ipsi, quæ Gentes, qui Reges eorum, per portas, quæ apertæ iugiter (quod fore Propheta prædixerat:) intrauerint in Ecclesiam, apud Centuriatores vestros. Habetis quoto quęq; seculo gētes ad fidem conuersæ fuerint: & videte, vtrum ad fidē Lutheranā an Zvvinglianā gentes illæ sint conuersę. Fatētur ipsi Magdeburgēses vestri (nec possūt hîc aliter: etsi nō rarò fallāt alibi, ꝙ Turrianus & alii docuerunt:) ꝙ à Papæ Rom. (quem Antichristū vestri Prędicantes clamāt) Apostolis, ad fidem Christi traductę sint. Hęc qui obseruatis, quomodo potestis nō detestari, illorum insaniam, qui Pontificem Romanū clamant Antichristum, & eius Epos, Antichristi satellites, *Isa 60.*

tellites, quorum sudore ac sanguine tot populi, & vos ipsi, Legem Christi & fidē edidicistis? suam verò Protestātem Ecclesiam tot annos delituisse, nescio vbi gentium, nesciunt ipsi Vespertiliones, vbi antrorum, vbi cryptarum perseuerant? Nam si Papa Romanus, & Episcopi Papistæ fuerunt lupi rapaces, vbi fuerunt Euangelici Protestantes, qui illos arcerent à grege Christi? an omnes fuerunt canes muti? & sub Papæ Antichristi imaginarij Vestri tyrannide edentuli? vel in soporem nescio quem dati, vt canes illi, Gallis capitolium ascendentibus? Quod si tale quid fuit, Ieremiæ oraculum planè fefellit: *Dabo Vobis Pastores iuxta cor meum: & ipsi pascent Vos scientia & doctrina.* Scimus, Ecclesiam non esse, nisi vbi est fidei confessio: & posita fide, requiri confessionem ad salutis negotium. Audimus enim docentem Apostolum στόματι ὁμολογεῖται εἰς σωτηρίαν. & ipsius Seruatoris horrendum est Edictum, apud alium Apostolum Marcum & collegas suos: *Quem puduerit mei & sermonum meorum, eius pudebit Filium hominis, quando venerit in gloria Patris sui.* Quandoquidem ergo ore professionem edimus salutiferam; consequens est, vt non sint infantes, qui profitentur illam fidem. At Prædicantes Vestri non possunt edere illos, qui fidem illam Lutherano-Euangelicam sint professi ab omnibus seculis. Ergo sequela inde educitur, quòd Ecclesia Protestantium illorum non fuerit, nisi vel in atomis Democriti, vel ideis Platonicis. Quid enim? qui Vastantibus Ecclesiam Achabo & Iezabele, tot millia virorum seruauit olim, sub lege Mosaica, quorum genua non fuerunt, ante Baal, incuruata; ille tot saltem mortales nō habuerit, quot collegium minimū apud Iurecōsultos faciunt, qui sincerum verbum Lutherano-Euangelicum, & vsum Sacramētorum, ab omni eidololatreia papistica liberum profiterentur, donec eum, ab omni superstitione vindicaret furiosus & perfidus ille monialis Velatę raptor Islebius? Ergóne vetus illa Synagoga Iudaica semper habuerit suos doctores

Cap 3 § 15.

Rom. 10 § 10. ore fit confessio ad salutem

Cap. 8 §. vlt Luca 9. 26. Matt 10 33

vsq;

vsq; ad Messiam natũ; & nova Ecclesia, sub Christo, noui & melioris Testamenti Mediatore, sub Lege Gratiæ, Sacerdotem vel Iudicẽ suum ignorauerit, tot secula, qui veram sententiam, de re controuersa, pronunciaret? Est enim D. Iesus κρείττονος διαθήκης μεσίτης, ἥτις ἐπὶ κρείττοσιν ἐπαγγελίαις νενομοθέτηται. Ergo reliquit Magistratum Ecclesiasticum: id est, dedit Apostolos alios, Prophetas alios, Euangelistas alios; Pastores & Doctores alios, ne circumferremur, παντὶ ἀνέμῳ τῆς διδασκαλίας.

Heb. 8 §. 6. Melioris foederis intercessor quod melioribus promissis sanctiũ est.

Ephes 4 §. 11. Omni vento doctrinæ.

Ad vestram prudentiam prouoco, Viri Amplissimi; quid reliquum faciunt sibi Prædicantes vestri ad extremam insaniam? qui negant Ecclesiam Catholicam semper esse manifestam, & legunt tamen illud Seruatoris: ἐὰν (ὁ ἀδελφός σου) παρακούσῃ τῆς ἐκκλησίας, ἔστω σοι ὥσπερ ὁ ἐθνικὸς καὶ ὁ τελώνης; Nam, hoc ipso, quòd Christus litem cum homine pertinaci susceptam, remittit ad Ecclesiam, necesse est illam esse aspectabilem. Frustrà enim in terris agens mortalis, ad aliam, quàm militantem ablegaretur Ecclesiam. At ista militans, non sunt Spiritus vel Mentes separatæ. Ergo aspectabilis est militans Ecclesia. Quocirca, cum nunquam mortales hic simus adeo ἀληθεύοντες ἐν ἀγάπῃ, quin possit incurrere quod offendat; necesse est Ecclesiam esse aspectabilem, quæ possit dijudicare controuersias. Et quid vltrà nos moretur aliquis Lutheranus Caluinianusue malus Genius? qui dicat censuris hic tantum suam astrui auctoritatem: & nullam ibi doctrinæ fieri mentionem? Quid enim? Si numerandus inter Ethnicos, qui corripientem non audit Ecclesiam, quod ad mores: quo loco nobis erunt illi, qui docentem illam contemnunt? Sit enim quantacunq; magna vitæ probæ ratio, inter fideles habenda: tamen prima semper cura sanæ doctrinæ sit necesse est: idque ex isto Apostoli euincimus, ἡ πίστις ἐξ ἀκοῆς. Quod si verò fideles non possunt credituri audire χωρὶς κηρύσσοντος, vt ibidem est: necesse est illos præcones verè pascere gregem Dei, vt, ex auditu, fides vera ingeneretur cordibus auditorum, qua credant,

Matth 18 §. 17 Si (frater tuus) non audieris Ecclesiam, sit tibi profanus & publicanus.

Verè nos habentes in caritate.

Rom 10. §. 17 fides ex auditu. Sine præcone.

Hæres. perditionis. dant ad salutem, & caueant à falsis doctoribus, qui introducunt αἱρέσεις ἀπωλείας, vt Apostolorum Princeps ait. Quibus sic assertis; quoniam scilicet: Ecclesia manet perpetuo, vt est in Augustanæ Confessionis vestræ *artic. 7.* necesse est Euangelium in ea, purè doceri & Sacramenta ex præscripto verbi scripti, & non scripti rite recteq; administrari perpetuò. si quidem verbi diuini præconium, & vsus Sacramentorum sunt notæ vobis οὐσιωδεῖς Ecclesiæ legitimæ.

Ep. sec. Cath. c. 2. § 1.

Essentiales.

Quapropter abominandissimis aguntur illi intemperijs, qui Ecclesiam Dei sponsam, tot sæculis à suo sponso, qui illam sibi comparauit proprio sanguine, nõ tantum aberrasse aiunt simpliciter, sed tam fædè, vt sponsi sui hostem acerrimum pro sponsi vicario exceperit, & Antichristum pro Christo adorarit. Donatistarũ hæc est resuscitata inpietas, Viri Amplissimi, ab Augustino profligata & alijs copiosissimè. Synagoga Iudaica, quoties fornicata est, audiuit opprobium impudicitiæ; *Ipsa non vxor mea, & ego non vir eius.* & notum est ex Prophetarũ oraculis, vmbras legis dissipandas, orto Sole Euangelij, & abolendũ legis sacerdotiũ, cum ceremonijs, aduentu Messiæ. *Quærẽt visionẽ de Propheta, & Lex peribit à sacerdote, & cõsilium à Seniorib.* & apud aliũ vatẽ: *nox vobis pro visione erit; & tenebræ vobis pro diuinatione: & occoumbet Sol super Prophetas; & obtenebrabitur super eos dies.* At quid tale de Ecclesia noui Fœderis? Alia certè omnia promittunt ijdẽ vates, de Ecclesia post Christum natum; Esaias & Ezechiel, & alij. audimus tubã illius: *Spiritus meus nõ recedet de ore tuo, & de ore seminis tui;* &c. audimus huius buccinã: *scient gentes, quia ego Dominus sanctificator Israel, cũ fuerit sanctificatio mea, in medio eorũ, in perpetuũ.* Quibus oraculis inprudens hîc Caluinus, & sui nominis inmemor, victas manus dedit, vbi ait: *Promissio eiusmodi est, Dominũ sic affuturũ Ecclesiæ, sicq; eius curã habiturũ, vt eã vera priuari doctrina nunquã sinat.* Mira equidẽ metamorphosis, qua factum ibi, vt nihil Caluini, i. e. nihil doli mali in Caluino, præter nomẽ, esset reliqu: alibi n. quiritatur, *deletas esse, in Papatu, notas*

Aug. ep. ad Vincent. & Bonif. in Ps. 101. & 147. l. 3. contra ep. Parm. c. 2

Osea 2. 2.

Ezech. 7. 26.

Cap. 59. § vlt.

Calv. in c. 59. Isaiæ.

Instit. lib. 4. c. 2. in fine

vera

vtra Ecclesia: & totũ corpus carere legitima Ecclesia forma. Sed picem monstri Nouiodunensis illius hic tangere nõ est instituti. Hoc vnũ volebã, contra Prædicantes vestros, non, vt in Iudaica Synagoga multæ olim eclipses visæ, & ipsa tandẽ penitus abolita; sic Noui Instrumẽti (quod *in melioribus promissis*, vti dixi, *sancitum est*, Ecclesiã ijsdẽ paroxysmis fore obnoxiã. Ecce vobis ipsius Seruatoris oracula: *Aliũ Paracletũ dabit vobis Pater, vt maneat vobiscum in æternũ.* & apud eundem Euangelistã: *Spiritus ille veritatis introducet vos, in omnẽ veritatẽ.* Item apud Matthæũ: *Ecce ego sum vobiscũ omnib. diebus, ἕως τῆς συντελείας τοῦ αἰῶνος.* Quocirca impii sunt in Spiritũ S. vestri Prædicantes, Viri Amplissimi, qui Ecclesiã Catholicã Romanam scortũ Antichristi appellãt. Hoc n. ipso, quod dicunt illam Ecclesiam esse meretricem Babylonicam, affirmant Spiritũ S. non Paracleti boni (q̃ horrendę est blasphemiæ:) officio perfunctũ, sed præuaricatorẽ egisse, si tot annos, tot sæcula deseruit illos, quos in clientelam suã receperat, quibus q̃ suo patrocinio se affore æuiternũ, tam solenniter promiserat. item q̃ iidem, q̃ clamant Ecclesiam Catholicam, ab Antichristo Romano occupatam, Christũ cõtendunt nõ Bonũ Pastorẽ, sed mercenariũ egisse: q̃ gregem à Patre sibi traditum, tũ diu lupis feriq̃ Antichristi immanissimis iugulandum reliquerit Et quo sponsi nomine cõpellandus sit, qui mysticæ sponsæ suæ, quã vita ꝓpria redemerat, pudicitiam, tot sæcula, profligatissimæ inpurissimorũ Antichristi satellitum, contra fidem, toties verbis tã disertis, datã, exposuerit libidini? Ipsi facilè videtis, Ampl.mi & Cons.mi Domini, quantũ absint à blasphemia Prædicantes vestri, qui maiores nostrũ omniũ vestrosque dum relictis omnib. terrenis curis, tam portentosa animi contentione, (freti veritatis oraculis: *Quærite, & inuenietis; pulsate, & aperietur vobis*; Item; *Regnum cælorum vim patitur*; &c.) Christum quæsiuerunt, Antichristum inueniſſe & meros eidololatras factos asseuerant; donec incesti quidam monachi incẽtione Lutheri, eodemq̃ chorago, planè omni, cum omnis obe-

Hebr. 8. c.

Ioan. 14. 16. c. 16. 13.

Matth. 28. vlt.

obedientiæ & cœnobij cancellis, perfracto pudore, veſtalium thalamos infando coitu polluerunt? Dijudicare poteſtis ipſi, quantum abſint à blaſphemia, qui Papiſtas, nomine contumelioſiſſimo, vocant ἀρτολάτρας; quòd Euchariſtiam ſanctiſſimam adorant. Nam ſi Eccleſia tot annos, quot dicunt Centuriatores veſtri, fuit eidololatrica, quî conſtet ſua vaticinijs fides, quibus reſponſum eſt, fore vt tolleretur omnis eidololatreia? Et ſi adorare Euchariſtiam, eſt ſuperſtitio; non fuit abolita ſuperſtitio, à Meſſia: ſed poſt illum natum, & noua nata eſt, & invaluit maximè. Quod ſi verò erratum eſt, tot annos, ab Eccleſia, in diuini cultus negotio tam capitali, certè Paracletus ille, à Chriſto miſſus, non edocuit omnem veritatem, ſed partem eius tenuiſſimam; vel nullam; (quid enim ſaluum in fidei negotio, ſi ibi ſuperſtitio?) quod impium eſt cogitare.

Panicolas.

Iſa 2. Ezech. 30. Zach 13.

Apoc 12.

Deſinant itaque Prædicantes veſtri (nunquam enim rufi dracones excucullati, ex abyſſi puteo tantam nobis offundent caliginem, vt videre nequeamus Mulierem amictam ſole, & cuius ſubter pedes Luna eſt, in Fœdere, cuius potioris (antiquo illo) γέγονεν ἔχθρας Ἰησοῦς; deſinant, inquam os aperire βλασφημίαν τὸ ὄνομα τοῦ θεοῦ καὶ τὴν σκηνὴν αὐτοῦ, καὶ τοὺς ἐν τῷ οὐρανῷ σκηνοῦντας: *vt contumelia afficiant nomen Dei & tabernaculum eius, & eos qui in cœlo habitant.* Nam qui Legis ſacerdotium, cum Chriſti Eccleſia (quod & iſta ſic obſcurari poſſit, vt olim Iudæorum cœtus ille:) ſic, vt dixi comparant, & defectionis arguunt; non tantum videntur πόλεμον ποιῆσαι μετὰ τῶν ἁγίων: id eſt Annam & Caiapham Petro eiuſque ſucceſſori; Pilatum & Reges, qui aduerſus Dominum & Chriſtum eius, in vnum conuenerunt, illis Imperatoribus & Regibus, qui adorant Chriſtum & oſculantur ipſum; Scribas & Phariſæos, Apoſtolis & Euangeliſtis; Iudæos Chriſtomaſtiges, populo Chriſtiano & Sanctis Martyribus conferre: ſed Deum fœderis violati reum arguere, quod citat in rem ſuam Apoſtolus prolixè & ſolenniter: imò nouum Chriſtum ſibi, cum Lutheri ortu, fingere, qui

Factum ſponſor Ieſus Heb. 7 22

Apoc. 13. 6.

Bellum facere cũ ſanctis. Apoc. 13 7.

Heb 8 à §. 7 ad fin.

qui restituat collapsam Ecclesiam: de qua falsò dictum fuerit, illam esse στύλον καὶ ἑδραίωμα veritatis. Quod nihil est aliud, quàm Christum abnegare, quod horret animus dicere. *Columnam & firmamentum veritatis.*

Ex vnius Lutheri fronte, Viri Ampl.mi & Consl.mi, omnium Prædicantium Vestratium pudorem æstimate. Ille coram Cæsare Carolo, & frequenti Principum Concilio, *Pontifici*, inquit, *Romano, & solis Conciliis non credo, nec ipsorum autoritatem recipio: cum & errarunt sæpius, & sibi ipsis pugnantia dixerunt: & errare possunt, atque falli*: phui: stimulorum leges. Quid ad istam vocem Eccius Iureconsultus? merito vehementer ait in eo delirare. *Si enim hoc recipiatur, vt eum, qui Conciliis*, inquit, *& Ecclesiæ contradicit, oporteat Scripturæ locis conuincere, nihil vnquam erit certum aut definitum.* Quid Væus Iureconsultus coram Treuirensi? *Quod ad concilia pertinet*, inquit, *fieri potest, vt diuersa docuerint aliquando, non tamen contraria: & vt maximè errauerint, non tamen sic corruit eorum auctoritas, vt ea conuellere cuiuis liceat.* Prolatum est iam sacris oraculis, non posse, à vero, aberrare Ecclesiam. Sed demus, cum Væo, errasse alicubi: quid inde? an diuinitus vni Luthero concessa est autoritas iudicandi de Concilio Oecumenico? vbi falsum sit Concilium? vbi fefellerit? & tota, in Concilio, Ecclesia alucinata sit? Quid Lutherus? Sacræ scripturæ testimonijs, vel euidenti ratione vult conuinci. Age mortalium impudentissime! tune rationibus vis redargui? quæ ratio, in te, euidens? quæ imago rationis? Clamat Augustinus; *De eo quod tota, per orbem, frequentat Ecclesia, disputare an ita faciendum sit? insolentissimæ insaniæ est.* de sensu scripturæ determinat Concilium. Lutherus reclamat: & ad scripturam prouocat: nec suis commentis vult vt cedant Concilia; sed scripturarum oraculis. Antestor prudentiam vestram, Ampl.mi; Domini; quo relabimur. Frustra, inquam, ad verba prouocat oraculorum; cum nos de sensu contra expostulamus: siquidem, scire leges, ex Iureconsult. R. non est verba illarum tenere, sed sensum nosse. Quis me vult bonę mentis, cum *Videte Sleidanum lib. 3. Comment. Anno 1521.* Ep 118.

bono Deo, compotem, vnius fanatici turbonis, siue Luthe-
ri vestri, siue Zvvinglij interpretamentum & opinationem ly-
phatissimam, tot sanctissimorum Patrum, & Ecclesiæ Oecu-
menicæ decisionibus, ex ipsa scriptura, & genuino scripturæ
sensu depromtis præferre? Quæ intemperiæ illum stimulant,
qui me sibi dicenti vult credere omnes Synodos Oecumeni-
cas, vel aliquot, vel vnam ex ijs, esse humani ingenij constitu-
tiunculas, (quod ego nugas & gerras interpretor:) suum vero
vnius, itemque alterius, qui in eius pedissequio, decretum esse
Rerum nouarum motor & machinator. authenticum? I nunc, citius melius, quisquis es τῶν καινῶν κινή-
σεων μοχλευτὰ pestilentissime, in rem desperatissimam, qui me vis
tuis phantasmatis recens hic ebullientibus tã monstrosis, tam
insanum in modum circumagi; vt tot seculorum consensum,
Opinioni sapientiæ. in fide Catholicum, vnius erronis δοκησισοφίᾳ inteſtabili cessu-
rum existimem. Quod veratrũ illi satis sit, qui me crediturum
putat, omnem antiquitatem doctissimam, sanctissimam deli-
rare in Ecclesia? omnes Patres errones esse; Lutherum excu-
Diuinitus inspiratum cullionem solum esse θεόπνευστον? eiusq; vnius scripta, vt ancylia
de cælo lapsa, non sine horrore ac religione, me tractaturum,
Nulla manu factum vel vt Palladium quoddam ἀχειροποίητον, asseruaturum? Luthe-
rus è scripturis suam panopliam habet? Eadem est omnium &
singularium hæreticorum ex eadem. pugnat Lutherus, pro
sua phantasia, sacri flaminis inspiraculo? quis non facit hæreti-
cus eodem supercilio? vnde Cadmea illa pugna de vnius de-
creti intellectu? vnde opinationum illæ toto cælo terraq; tota
diffitarum asyllogistiæ? vnde tam discrepans inspiraculum ab
inspiraculo? flamen, à flamine? si scriptura est diribitrix scri-
Loco apud Sleid citato. pturæ? *Sacra scriptura*, inquit, Lutherus, *& perspicua est, & sola falli*
non potest. Agite ergo, Viri Amplissimi, vnde tam discors aber-
rantium sentẽtiarum pugna? tot aduersantium sibi hæresium
capita pullulant? Cur à Luthero Carolstadius, Zvvinglius,
Pacimontanus, Brentius alij fecerunt diuortium? Imo cur
Lutherus à Luthero dissidet, vt Sosia Plautinus à Sosia? cur Lu-
therus

therus non monstrum aliquod biceps? non Cerberus triceps? sed sepiceps, vt Cochleus ostendit? sed centiceps, vt plures alij commonstrarunt? Quæ ergo me cogit ratio credere, vni Luthero (etsi non Lutherus, id est infami pollutus incestu, cum velata & Deo consecrata virgine, sed è cælo Angelus is fuisset:) sensum fuisse perspectum Codicis vtriusque diuini? vnum Lutherum fuisse Sancti Spiritus interpretem: & à sancto Spiritu non regi Oecumenica Concilia? Dico quod spiritui S. per Ecclesiam sanctam Catholicam loquenti, repugnet, qui refigit illa, quæ non semel eius iudicio sunt terminata. Ego illum Ethnicum, & publicanum, ex S. Codice pronuncio, qui non auscultat Ecclesiæ: qui hoc agit, vt nihil sit fide nostra incertius, nihil institutis mutabilius; nihil Hierarchiæ statu perturbatius. siquidem *iniuriam facit* (verbis Impp. Valent. & Marc.) *iudicio reuerendissimæ Synodi; si quis semel iudicata ac rectè disposita reuoluere & publicè disputare contenderit.* &c. *L. nemo decretum C. de summa Trin & fide Cath.*

Per salutem vestram, Apl.mi Conf.mi Domini, liceat mihi, pace vestra, sic paucis vobiscum agere: qui Prædicantium vestratium dogmata sequimini; vel creditis illorum iudicio, vt rectè scripturas sacras explicantium; & quod persuasum vobis est, non falli Prædicantes illos, in scripturarum explicatione: vel non aliter ipsis fidem habetis; nisi quà scripturis conuenit ipsorum interpretatio si prius est: & illis simpliciter fidem habetis, nunquam vobis fides indubitata est, nisi credatis illos Prædicantes non aberrare, vel non posse aberrare in illa explicatione. At hoc ipsum est contrà Lutheri vestri principia, vbi statuit, & errasse Ecclesiam, & errare posse. Quod si alterum dicitis, (quod dicendum est, ne quid statuatur contra Neotereuangelistæ vestri principia:) nempe vos non esse istiusmodi hominibus obnoxios, nisi quatenus vobis dogmata præeunt de pulpitis, quæ sacris litteris consentiunt: nec vos alia cautione ijs subscribere, nisi quà sacris oraculis congruunt; sequitur inde omninò, quòd

ſtandum iudicetis veſtro iudicio: nempe ſic vos credere, quia iudicatis illud congruum eſſe diuinis litteris. Ex quo ſequitur, non Prædicantes vobis Paſtores eſſe; ſed vos ipſiſmet vobis eſſe Paſtores. Nam ſi vos Paſtorum dicta vobis ad normam ſcripturæ examinanda ſumitis, neceſſe eſt vos Paſtorum veſtrorum iudicia veſtris iudicijs ſubmittere. At quò hæc vergat exploratio fidei, facile ipſi animaduertitis. Nam vt vos, in Curia veſtra, ſententijs non rarò diſſidetis, & diuerſa fertis ſuffragia: quidni & illud poſſit contingere in calculo, ſuper fidei articulis, ferendo? & quidni quiſque ſibi ſapiat, & tot ſæpe religiones ſint, quot capita, quæ fidem explorent ad amuſſim ſcripturæ? & quem arbitrum ſtatuetis, qui definiat, quis veſtrum diſſidentium rectè pronunciauerit? Nam & vos vt errare potuiſtis & poteſtis: ſic & arbiter quiuis errare poterit: quo poſito nihil certi, vt videtis ipſi, vobis ſit in fidei commercio. Nam ſi dicitis vniuerſam Eccleſiam aberraſſe, & aberrare poſſe, quid cauſæ dicetis, cur Vos ipſi aberrare non poſſitis? aut credere debeatis vos ipſos non erraſſe? Quibus ſic poſitis, cum certi eſſe debeamus neceſſariò de fidei myſterijs, ſtatuendum eſt Eccleſiam nõ aberrare, vti probatum eſt ex diuinis oraculis; quæ vel nulla, in terris eſt, vel Romana eſt. Et cum in terris eſſe aliquam Eccleſiam, neceſſe ſit, Lutheri veſtri confeſſione, dico Romanam eſſe. Nam Epheſina, Smyrnenſis, Pergamena, Corinthia, Philippenſis, Antiochena, & aliæ quotquot ſunt, defecerunt, vel planè interierunt. Vna Romana eſt; quæ fuit & erit, quamdiu hic orbis erit præ cæteris eximia: in qua ſucceſſor B. Petri eſt. de qua Auguſt. palàm ait eſſe, quòd in re dubia, valeat eius auctoritas, ab ipſis fundatis Apoſtolorum ſedibus, vſq; in hodiernum diem ſuccedentium ſibimet Epiſcoporum ſerie, & tot conſenſione populorum firmata. Videte quæſo, quid Auguſtũ illum Patrẽ teneat in iſtius Eccleſiæ gremio. Cum de fide contentiones increbeſcerent, & Apoſtolica cymba varijs opinio-

Contra Manich.

Contra ep. Fundam. cap. 4.

opinionum procellis iactaretur, videte ad quem portum, ex toto orbis Oceano enauigarint Ecclesiarum minorum Præsules, in Tertulliano: in Cypriano l. 4. ep. 8. In Athanasio, ep. ad Marcum PP. & ad Felicem 2. Videte, ad cuius, de Nestorio, prouocet judicium Cyrillus. Videte Maximianum Constant. ep. ad Orient. in Theodoreto, ad Renatum, & ad Leonem PP. quæ Sedes semper fœtoris hæretici expers manserit. Videte Petrum Chrysologum *ep. ad Eutychetem*; ad quem Petrum cõfugiat, qui in propria sede viuat præsideatque ac præstet quærentibus salutem. Videte in Socrate & Sozomeno 7. c. 4. rescriptum, quo declaratur, quæ vera fides sit, à Petro Apostolorum Principe, initio tradita, quam tum Damasus Romæ & Petrus Alexandriæ Episcopus conseruabant. Videte quæ felix Ecclesia Tertulliano: quæ vertex Ecclesiarum Bernardo *ep. 232.* quæ Deo digna Ecclesia B. Ignatio *ep. 15.* Videte Hieronymũ, insonantibus Arianorum tubis, & turbis totum Orientem collidentibus, ad quam Arcem fidei properet? ad quam Arcam, in isto hæresium diluuio properet. Percurramus, à Christo, ætates omnes: à XII-viris Christi Legatis: à successoribus illorum: à maioribus nostris exspatiemur per totius orbis monumenta: à Sede Romana ducent in hæc Pauli V. P P. M. tempora. Censeamus particulares Ecclesias: omnes de sacramẽto & vniformitate (schismaticas Græcas, misere dilaniatas, quid moremur?) fidei inueniemus cum Romana Catholica fœderatas: in qua vna Scripturarum expositio, ex Apostolica Traditione. Nec aliam inueniemus vspiam Gentium Ecclesiam, quàm Romanam, *in qua incorrupta Patrum*, Hieronymi verbo, *seruatur hæreditas: in qua Apostolorum successorem, fideles*, vt Bernardus loquitur, *recognoscunt*.

Contra Praxeam.

Cyr. ep. ad Celestin.

In tom. 1. Concil ante Conc. Chalced.

Deprascr. adv. haret.

Ep 57 ad Damas.

Hier. d. ep. 57. ad Dam. Bern. ep. 126.

Quæ si quis curatè secum ponderet, versetque omnem doctrinam ab Apostolis traditam, per manus successorum propagatam, à Maioribus, Patribusque nostris ὁμοψύχως καὶ ὁμοφώνως defensam; testium innumerabilium sanguine μυριο-

Vnanimiter & ijsdem calculis,

Vicies millies.

μυριάκις tinctam, obsignatam, in hanc vsq; ætatem: & dissonas opiniones, discrepantesq́;, ac toties legitimis concilijs damnatas, hęreses Nouatorũ, in hac tam inpotenti Antiquis obstrigillãtium vertigine, petulca tentigine, despuenda prurigine: quibus strophis, quibus cõmentis induci queat, vt Lutheri incẽtiuo συγκλητὸν ἐξαίφνης ὄχλον Protestãtiũ, ἐκκλησίαν νόμιμον καὶ κυρίαν arbitrari possit? Mentiar profectò, si vel eruditione vel sanctimonia (quę duo, mirum quid valere debeant, ad partem ineundam:) Nouatorum quis moueri possit, vt ad illorum castra transeat. vtraque enim in Catholicis summa est. In Excatholicis seu Protestantibus illa est exigua: hæc verò nulla. Vniuersam Ecclesiæ Catholicæ aciem priscam modernamúe (quæ nimium sit formidabilis) non moueo. Vnum Societatis Iesu Ordinem educo, contra qualescunq; sectariorum manipulares. vbi tanta variarum linguarum cognitio? vbi tantus omnium ingeniorũ, artium, scientiarum thesaurus? vbi tã infinita lectio? vbi tanta iudiciorũ subtilitas? vbi flos iste Theologorũ? vbi de fide Apostolica, de maiorum institutis, de vniuersis scientijs rectè arbitrantium tam augustum sacrarium, apud omnes sectarios, quàm in vno illo Ordine? Argumentum, si non aliunde possem ducere, sat magnum hic mihi sit, ab odio illo sectariorum; in quod oẽs certatim adeò conspirasse tot annos iam vidimus, vt toties maluerint frontibus suis tam fædas publicè priuatimq; inuri notas calumniarum, quàm falsis criminationibus Iesuitas non insectari. Cedo mihi quisquis es, qualemcunq́; voles, ex fœtura illa nouitia, virum, quem doctrina insignẽ putas: ego tibi ex aduerso (Philosophos & Theologos dico: nihil enim hîc cum Grammaticis, rei est) è Societatis illius Ordine proponam alium; & ostendam Nouatorem tuum Protestantem cum Iesuita comparatum, esse Troilum cum Achille, vel ephębum Philistæum, cum Samsone Catholico. Vis mores cum moribus committere, nouitatis canditarę? age sęculum tuum excute. vbi ex Lutheri gymnasio & pul-

Conuocatã repente turbam, Ecclesiam legitimam & Dominicam.

uere

nere viri, qui carni frænos induant? qui vltronea se macerent inedia? qui vnis solis pellibus cutim stimulis voluntarijs perforatam integant? vno se legumine & pura satient? qui ex cõsilio Domini, vendant omnia, & elargiantur pauperibus? vbi, ex Gynecæo Lutheri, virgines, quæ nubere temperent? quæ carnem lasciuam debellent sacramento castimoniæ? quæ florem virginitatis illibatæ Christo sponso intactum custodiant? quæ subducant virorum libidini venustatem? quæ procorum oculos excludant, & è suis non eiaculentur cupidines? quæ tenellos sinus, σακκοφορίαις, χαμευνίαις, αὐτοπληξίαις, alijsq; disciplinis, quę vel Epimenidi certissimum propinent παυσινίσταλον, aduersus somnolentiã, à riualium cõplexibus sequestrent? At ista oĩa videmus ad stuporẽ, in Ecclesia Romano-Catholica.

Ciliciis, humi dormitionibus, verberationibus spontaneis quod somnũ inhibet.

Atq; hæc argumenta sunt, Viri Ampliss. Consultiss. quibus sat validè me ostendisse arbitror, Prædicantes illos vestros, & Pædagogos, diuinæ & humanæ Majestatis læsę reos esse; qui Pontificem Romanum; Imperatorem; Reges; Christianissimum, Catholicum; oẽs ordines Catholicos; sacros, profanos: majores omnes; nostros, vestros; iam diu cœlo beatorũ, ante aliquot sęcula adscriptos, tam fœdis conuiciis, tam portentosis cõtumeliis, lacerant, vt à nullo Cacodęmone fingi possint atriores. Vos legibus patriis iniuriam, quam inferunt Maioribus vestris, saltem vindicate; qui Carolo Mag. & Pontif. Roman, debetis, quòd Christi fidem amplexi fuerũt. Quid enim de illorũ conuersione, Prędicãtes Vestri, cum suis Pędagogis? si Antichristum, pro Christo, acceperunt, quid dicuntur à Põtificis Romani Legatis, ad Christum conuersi? sin verã fidem (quæ, vt substantia, nec magis nec minus recipit; & corrupta fides, nulla est.) amplexi fuerunt: nihil peius terra sustinet vestris Prædicantibus & Pædagogis, qui non agnoscunt beneficium, in quo consistit immortalitas, & æterna felicitas. Vultis enim vestrũ palmatum Asinũ, quid de istiusmodi gẽtium conuersione sentiat? Ecce vobis illa quæ habet *pag. 11. & 12. palmæ*

secula-

secularis. Quòd insulas tanto iam successu, in Amplificatione regni Pontificij occupare incipiant (Jesuitæ) *& benè multo tempore iam occuparint, mirum nemini videri debet; cum spiritus Dei prædixerit Apoc. 16. v. 12. Phialam sextam, in Euphratem ipsum effundendam, & aquas Euphratis inde siccandas esse. Verè enim inter plagas iracundiæ Dei referendum, quod Antichristus Romanus idololatria & tyrannide sua, in ipso oriente dominatur; quod spiritus illi Totorbiperam bulitechin in regnis Orientalibus vi & fraude agunt; vnde & instrumenta bestiæ huius eleganter depinguntur v. 13. 14. quod spiritus sunt immundi, spiritus dæmoniorum, facientes & iactantes signa, procedentes ad Reges terræ & totius mundi, ad congregendum illud in prælium dici illius magni Dei omnipotentis.* Habetis hîc, Viri Ampliss. & Consultiss. quid, de Maiorum vestrorum conuersione, iudicent Prædicantes & Pædagogi vestri. non enim alia nunc fide imbuuntur Indi, quàm qua imbuti sunt Maiores vestri. nec alius quàm Petri successor, ad vos misit Legatos suos, illius fidei professores, quam propagant Argonautæ illi Deo carissimi, qui primum orientis Triumphatorem B. Xauerium sequuntur, cuius vt expeditionem legatis, vnicum scriptionis huius præmium peto: tum vt Prædicantium vestrorum, cum Pædagogis, plerosque, pari viatico, quo nauem conscendunt Jesuitæ, instructos, ad Indos ablegetis, vt illis annuncient fidem Lutherano-Euangelicam, & martyriorum palmas Iesuitis præripiant. In quo finiens, Deum precor, vt, de rebus diuinis sentienda & credenda, sentientes credentes; de humanis; facienda, fugienda, præscribentes, prohibentes vos, quàm diutissimè, incolumes sospitet, prosperet. V. Non. Maij. $\overline{\infty}$. $\overline{1\supset c}$. xx. Moguntiæ.

Ampl.ma Consult.maq; dignitatis Vestræ studiosissimus,

Marcellus Franckheimus
Iureconſ.tus

ANIMÆ-

ANIMAEQVO LECTORI, B. F.

ANTE, Lector, quisquis, cuiuscunq; es ordinis; qui re incomperta inexplorataq;, fortean stili mei acumen auersari posses, tuis oculis exponã Halensis pędagogi ingenium; qui calumniam, maledicentiam, mendacium, διαβολίαν in virtutibus primis videtur censere, quàm caloris mei rationem edam.

Scripsit palmam secularem Lutherano-Euangelicam, quæ prodiit Anno 1618. typis Petri Fabri, inpensis Ioachimi Krusicken: quam inscripsit, viris Magnificis, Nobilissimis, Amplissimis, Consultissimis, Reuerendis, clarissimis, excellentissimis Dn. Dn. Reuer.mi ac Ill.mi Principis ac Domini, Dn. Christiani Guilielmi, Postulati Archiepiscopatus Magdeburgensis Administratoris, Coadiutoris Episcopatus Halberstadiensis, Marchionis Brandeburgensis, & cæt. Archiuorum, Scabinatus; vt & Curiæ, Ecclesiæ & Scholæ Halensium Præsidibus, Consiliariis, Adsessoribus, Consulibus, Senatoribus, Ministris, &c. In eius epistola dedicatoria ad num. marginalem 2. sic habet. *è (Saxoniæ rutaceæ) Electorali vrbe & Academia Vitebergensi Angelus Reformationis Lutherus volare instituit per medium cæli, habens æternum Euangelium, vt Euangelizaret habitantibus super terram, & omni genti, & tribui, & linguæ, & populo, Apoc. 14. 6. cuius tubæ Euangelicæ clangore, mœnia Hierichuntis Saxonicæ ceci dederunt, & simul a Babylon illa magna, quæ vino iræ fornicationis suæ potauit omnes gentes.* Pedagogus Halensis vocat Saxonicam Ecclesiam Catholicam, mœnia Hierichuntis.

a Vocat Ecclesiam Catholicam Babylonem magnam, qua vino, &c

Ibid. *Torquebantur (Catholici,) & affligebantur, discurrentes à mari vsque mare, & ab aquilone vsque ad orientem (peregrinationibus longinquis & multiplicibus) & quærentes Verbum Domini, & non inuenientes, sed siti deficientes.* Dicit Catholicos tortos, non inuenisse verbum Dom. siti defecisse.

Num. 7. fol. 5. *Fimo ac sordibus traditionum humanarum tota Regni Pontificij κακοδοξία est superstructa.*

Folio eodem verso inter num 9. & 10. Turcicos & Pontificios furores coniungit.

Fol. 6. num. 12. *In Papatu (Palma Ecclesia) monstro illi & commentitio sponso juncta, monstrorum quoque mater & origo extitit, superstitionum ac impietatum fædissimarum.*

...ci iũ ...am, fuisse matrem & originem monstrorum, superstitionum & impietatum fædissimarum.

Eodem fol. verso: *Ego optarim, ait noster Thaumasiander (Lutherus) Tom. 4. Ien. pag. 470. b. in Psal. 128. Papam qui se facit Sponsum & Maritum Ecclesiæ, cum Iuda ex arbore pendere, & in inferno sepultum esse potiùs, quàm vt hoc modo Christo nomen suum eriperet.*

Quod Papa se faciat spõsum Ecclesiæ: optat vt Papa, cum Iuda ex arbore pẽdeat Vt Papa in inferno sepeliatur. Quòd Papa Christo nomen suum eripiat.

Fol. 7. num. 17. *Augustæ totus mundus æstuabat contra verbum Dei, & totum illud cum confessoribus omnibus absumere & deglutire in animo habebat. Hui quantis precibus opus fuit, vt Christo sedem in cœlis saltem Pontificij concederent.*

Dicit Pontificios æstuare contra verbum Dei, non nisi exoratos, Christo sedem in cœlo relinquere.

Fol. 8. num. 18. *Quot & quam crudelia consilia, pergit noster* (Lutherus) *in cap. 13. Gen. Tom. 3. p. 1586. Regum, Pontificum, Cardinalium mirabiliter repressa sunt.*

Consilia crudelia, Regũ, Põtificium, Cardinaliũ

Fol. verso. *Aduersariis horribiliter furentibus.*

Ibid. num. 19. *Patiendo tyrannos tulimus & vicimus: ipsi autem agendo perierunt & succubuerunt.*

Quòd Lutherani patiendo tyrannos Catholicos vicerint.

Fol 9. probat Lutheri dictum: *Si tu conferas Turcam, Pontificem, Episcopos, Reges & Principes ac totum Satanæ regnum, an non similes fatuo tali erunt, qui moliatur vastam turrim baculo euertere. Ludos igitur & jocos Deo exhibent,* Machen jhm ein Faßnacht Spiel/ wann sie am zornigsten seindt: *& reuera aliud nihil sunt, cùm talibus cogitationibus & molitionibus occupantur, quàm jocularia officina,* Vnsers HErrn Gottes Gauckelsack. & ib. *nihil periculi ab huiusmodi flaccidis Vesiculis & jocularijs athletis.*

Quòd Turca & Catholici satanæ regnum sint.

Item vnsers HErrn Gottes Gauckelsack.

Flaccida vesica, jocularij athleta.

Fol:

Fol. eodem verſo. Fleckio, Arentino, Vdalrico ab Hutten, Melanchthoni, & alijs, *vterque Pontifex & Turca eo ipſo, quod occiderunt, nolentes, volentes inſeruire fuêre coacti, vt coronam juſtitiæ acciperent.*

Pontifex eſt Crocodilus, Beſtia rictu expanſo, &c.

Fol. 10. num. 22. *Verbum Chriſti neceſſe eſt Crocodilum palmæ alliget; Beſtiam illam Romanam, rictu expanſo vitæ fortunisq; ſanctorum inhiantem.*

Filius perditionis Antichriſtus.

Ibid. *Ægyptum & Sodomam ſpiritualem, in qua tenebræ pluſquam Cimmeria & Sodomitica nefandiſſimæ vigebant, imò Crocodilum ipſum, filium perditionis Antichriſtum, ante Lutherum nemo colligauit.*

Eius aduentus ſecundùm operationem Satanæ.

Fol. 9. verſo: *Cuius (Antichriſti) aduentus ſecundùm operationem Satanæ cum omni potentia & ſignis mendacibus.*

Pontifex Magnus Draco ore infernali &c.

Et ibid. *Magnus ille Draco flumine, quod ore infernali vomuit, perſecutionum ad ſubmergendum illam & radicitus eluendum, Lunatæ huic palmæ (Euangelicæ) inſidiatur.*

Fol. 10. ait, *Pontificium ac Sacramentarium gregem longe virulentiſſimum.*

Ibid. *Quaſuis ſectas ſub Papicolarum & Caluiniſtarum ſignis militare omnes haud abs re quis dixerit.* Hæc ille in epiſtola dedicatoria.

Papa eſt Pharao, in mare demerſus.

In ipſa palma ſeculari pag. 1. (Dominus) *Currus Papæ & exercitum eius proiecit in mare. Electi Cardinales eius ſubmerſi ſunt in profundo. Abyſſi operuerunt eos, ac deſcenderunt in profundum quaſi lapides.*

Eccleſia Catholica eſt Ægyptus & Sodoma ſpiritualis.

pag. 2. *Redemtinos ex Aegypto & Sodoma ſpirituali.*

Quæ ſordidas merces importet.

Ibid. *E duriſſima Papatûs ſeruitute.* Item; Regnum Papatus, *cum equis & curribus ἰδιλοθρησκειῶν, indulgentiarum operumque fictitiorum merces ſordidas animis oculisque hominum importabat.*

Pontifices, Rom. Vaiouas cœlũ exterrere, Deũ

pagina 3. *Cuinam fremitus ac furores Bullarum atque Excommunicationum quibus cœlum exterrere, Denique ipſum ſolio dejicere, exortamque veritatem opprimere, anxiè, ſed abſque*

ſucceſſu ac fructu laborarunt Vajones Romani, ignoti eſſe queant?

Pontifex Pharao Romanus.

Ibid. *Tenebrarum ac plagarum Pharaonis Romani facinora.*

Tantus Sanguinarius, cum Satanicis conatibus

Item: (Deus) *nos populum ſuum à tanti Sanguinarij conatibus Satanicis liberum confirmauit, &c.*

Pontificium venenum anima.

Item: *Deus animæ pabulum conſeruauit, veneno Pontificio & Sacramentario illibatum.*

Papæ oculi ſcintillantes ardentes furore, frons &c. os, in ſanctum Dei, blaſphemum, &c.

Pag. 4. *Videre dabitur hinc ſcintillantes, imò furore ardentes inimici noſtri ἀσπόνδους oculos, illinc frontem rugoſam nihil non mali minitantem. Hinc os impium & in ſanctum Dei blaſphemum; illinc cor fraudibus ac aſtutijs inſtructiſſimum: hinc ſuſurros, ad odium inuidiamque fidei ſinceriori conflandam emiſſos & immiſſos: illinc vngulas ſanguine teſtium veritatis cruentas: vndique & vbique paratas tenuiſſimæ ac infantili Euangelij flammæ præſentiſſimas interneciones.*

Veritas per 9 penè ſecula ſuperſtitionibus ſepulta vsq; ad An. 1517

Ibid. *Veritatem Euangelicam ait nouem iam penè ſeculorum periodis, tenebris humanarum ſuperſtitionum denſiſſimis immerſam ac ſepultam, poſtliminio reductam anno ſupra milleſimum, ab orbe redempto, quingenteſimum decimo ſeptimo & ſeq.*

pag. 5. *Papæ ſedem Antichriſtianam dicit.*

Syluester Prierias Antichriſtum Rom. pont. prodidit.

pag. 6. *Sylueſter Prierias Pontificem Romanum, ignoratum hactenus Antichriſtum prodidit. Iacobus Hochſtrat in hæretici deſinitione pueriliter hallucinatus eſt.*

Eck Goliathus ad maledic. &c.

Ibid. *Goliathus ille ad maledicendum exercitui viui Dei Ioannes Major ab Eck.*

pag. 7. *Petrus Carapha Cardinalis, anno 1555. Pontifex factus, Paulus IV. dictus; ſectam Ieſuitarum, quam, priuſquam ad faſtigium illud eueheretur, Venetijs primùm inſtituiſſe ſcribitur, poſtea auxit, & cætera.*

Ieſuitæ in mediis abominationibus nati, imbiberunt

pagina octaua. *Ieſuitæ in hoc inſtituti, vt ſint Pontificiæ turpitudinis Patroni, in mediis abominationibus educati, ficti, formati, imbiberunt abominationes & ſpurcities, quas meretrix Babilonica, &-*

ca, Apocal. 17. v 13. 4. 5 calice suo propinat: charactere Bestiæ confirmati: ut Ecclesiis lux, quæ ex verbo diuino affulsit, eripiatur: Ranæ Apocalypticæ ædificijs suis (pag. 9.) *ipsa vrbis mænia complectentes, vt noui & Iesuitici mundi sementem faciant: in veritatis diuinitus* (pag. 10.) *patefactæ ac restitutæ perniciem præsentissimam: hostes pietatis ac honestatis omnis: quorum Anglia haud paucos, anno 81. strangulauit, alijsque suppliciorum generibus alios mactauit.*

abominationes meretricis Babylonica charactere bestiæ confirmati. Ranæ Ægyptiæ. Hic Lutheranus probat Caluinistarum Anglorum tyrannidem in Iesuitas.

pag. 11. *Iesuitæ pessimi corruptores iuuentutis.*

Ibid. *spiritus Dei prædixit Apoc. 16. v. 12. Phialam sextam in Euphratem ipsum effundendam, & aquas Euphratis inde siccandas esse: verè enim inter plagas iracundiæ Dei referendum, quod Antichristus Romanus idololatria, & tyrannide sua, in ipso Oriente dominatur: quod spiritus illi Totorbiperambulitechni, in regnis orientalibus vi & fraude agunt:* inde & *instrumenta bestiæ huius diligenter depinguntur v. 13. 14. quod spiritus sint inmundi, spiritus dæmoniorum, facientes & iactantes signa, procedentes ad Reges terræ & totius* Mundi, *ad congregandum illud in prælium diei illius magni Dei omnipotentis.*

Iesuitæ phiala 6 Apoc. 16. v 12. Pōtifex non tantum occidentalis, sed & orientalis Antichristus Iesuitæ instrumenta Bestiæ Apocal spiritus immundi, dæmoniorum. Congregant prælium contra Deum omnipotentem.

Ibid. *in nupero Ratisbonensi colloquio 1601. assertionibus ad 48. partim manifesto falsis, partim ad prodigium vsque absurdis, partim ad stuporem vsque blasphemis, vniuersa Ecclesiæ seque suæque doctrinæ falsitatem, publicè prostituerunt Iesuitæ, vt pudenda Romanæ Thaidis, &c.*

Iesuitæ prostituunt Romanæ Thaidis pudenda.

Pag 16. *Georgij Saxoniæ Ducis memorabile artificium fuisse ait, vnde abiuratio veræ & sinceræ doctrinæ resilientibus metu mortis amittendarumq; facultatum fuit importata, qua testarentur: se à vera Catholica ac Apostolica (Apostatica) Ecclesia, sua grauissima culpa resiluisse: &c.*

Ecce hic Georgium Saxoniæ Ducē, cuius memorabile fuerit in genere Inquisitionis artificium &c.

Pag. 18. Carolum V. ait, in Comitijs Augustanis anno 30. dixisse, quod rationem esset initurus, *quemadmodum sectæ* (Lutheranæ, Caluinianæ, Anabaptisticæ) *nupernatæ funditus extirpentur*, &c.

Hic & Carolus V inter persecutores veræ religionis.

Catholicorum edictis sanitum esse in veram religionem.

pag. 19. Cæsarem Carolum & Ferdinandum ait fœdus iniuisse cum Moguntino & Salisburgensi, Archiepiscopis; Guilielmo & Ludouico Bauaris; Saxone, Georgio; Erico & Henrico Brunsvvicensibus; *Edictisq; in sinceræ religionis amantes sanitum esse.*

Laudat Lutherum, vbi ait quod Pontifex cū suis, Christi & Apostolorum doctrinam damnent &c.

pag. 21. laudat Lutherum quod scripserit, *Pontificem & ipsius clientelam omnem sic esse deplorate miseros & obstinatos, vt non solum rectas admonitiones non admittat, verum Christi & Apostolorum doctrinam damnent & homines ad manifestam impietatem cogant. insuperabiles esse aduersarios, idcirco se ipsorum etiam cremasse libros.* &c.

Catholici euomunt calumnias calumniatoris infernalis instinctu.

pag. 25 Catholicos ait *contumeliosa sexcenta in vitam ac doctrinam B. Lutheri ac Protestantium Principum Lutheranorum, calumniatoris infernalis instinctu euomuisse.*

Iesuita tuba faces q; bellorum, trucidationum &c.

Ibid. *Tandem ergo ad vim manifestam peruentum est, Bella scilicet, Persecutiones & Exilia, quibus compendio maximo Pontificia idolomania instaurari & Christiana veritas repurgata planè extingui posse fuit visa. Heic iam vigilarunt toto seculo, & adhuc vigilant Tubæ faces q; bellorum, persecutionum, inquisitionum, trucidationum. Quo in studij genere, egregiam aulæ pontificiæ hactenus nauarunt operam Iesuitica fabella, as fuscitabula bellorum.*

Catholici Turcis parcendum monent.

pag. 26. *Catholici Turcis parcendum esse monent, & totum armorum impetum in Lutheri seruos conuertendum esse, vt ense, rota, ponto, funibus, igne necentur.*

Iesuita Henricum IV. interfecerunt.

pag. 27. *Iesuitarum nequitia Henricum IV. crudeliter vitâ priuauit.*

Carolus V. & Catholici, hostes veritatis.

pag. 33. *Carolus V. Ferdinandus Cæsares, alīque Catholici hostes veritatis, quibus Imperator cæli* pag. 34. *terminum fixit, vbi sisterent suas fraudes, insidias, proscriptiones, furores ac fremitus.*

pag. 38. *dicit Pontificiorum machinationes subdolas & apertas* &c.

pag.

pag. 39. *haud postremum Pontificia tyrannidis, vnicè hoc Schemate* (Calendarij Cregoriani) *quæsitæ, novum robur & Christianæ religioni structum periculum: Mathematicæ veritatis corruptionem.* *Calendariũ Gregorianũ Pontificia tyrannidis robur &c.*

Apud eadem. *Dicendum de Concilij Tridentini instituto, fraudibus, impietate vniuerso iam mundo, vnito B. Chemnitij examine & Protestantium causis non frequentati illius conciliabuli Satanici satis manifestata.* *Concilium Tridentinũ conciliabulũ Satanicum.*

pag. 40. *Dicendum de fœdere sacro, quod Liga vsitatè appellatur, in Euangelicorum perniciem ac extirpationem fabricata. &c sicut ea nuperrimè Herbipoli Anno 1610. à Catholicis Principibus statibusque Duce eiusdem Maximiliano Bauarico duce constituto, renouata est.* *Liga Catholicorum in exstirpationem Euangelicorum.*

Hæc Pædagogus Halensis in vniuersum ordinem Catholicum: eodem planè æstro in Caluinistas Sacramentarios furit, *pag 45. vsque ad* calcem famosæ palmæ suæ, paginam sc. 97. continuo criminationis filo. & in illis foliis quot lineæ sunt, tot conuitia poterunt numerare Caluiniani: imò non paucas offendent lineas, in quibus quot verba, tot maledicta: quæ in illorum gratiam piget adscribere. Ipsi fratres, qui non nisi, in aliqua coitione aduersus Catholicos visi fuerunt vtrinque fraterrimi, de illis transegerint, vel Græci bellum Troianis mouerint:

sedeant spectentq; Latini.

Ad Catholicos quod attinet, nunquam tales fore Mitiones, in illorum ordine, confido; vt, inaudito isto maledicendi & conuiciandi genere, quo promiscuè inuoluit omnes homines, præter vbiquitarios suos, Halensis ille, arbitraturi sint, hominem bonum posse nimium concitari. Quo in furore sic debacchatus est onager ille Halensis, vt ipse nescierit, quid euomuerit. Nam qui Carolum V. Imperatorem pag. 18. vti citauimus, tam crudelem descripsit Lutheranæ sectæ persecutorem, vt in Comitijs Augustanis anno

anno 30. dixerit, initurum se rationem, quemadmodum & illam, cum alijs funditus exstirparet, & alibi, nempe 74. pag. secularis palmæ, recenset quomodo idem Cæsar, *Anno* 1526. 14. *Ianuarij, & Franciscus 1. Galliarum Rex, summo voluntatis animorumq; nexu deuincti, id vnum moliti sint, vt Lutheranam religionem iunctis auxiliis stirpitus eradicarent, & Pontifex ipse belli redintegratione vinculum istud disrupisset, tantum negotij facessens Imperatori, vt hic publico profiteretur scripto: in Papam residere culpam, quod minori successu Lutheranam hactenus hæresin compressisset:* tamen eundem Cæsarem pag. 69. tum clementem fuisse memoret, vt, *cum Georgius Marchio Brandeburgensis, se caput ferirendum præbere malle, quam ab agnita semel veritate vel tantillum discedere, coram Imperatoria maiestate intrepidè affirmasset,* respondẽtem induxerit Imperatorem, *Non capitis peti abscissionem.* Sed apertius insaniæ prorsus conclamatæ argumentum edit, *pagg. 72. & 73.* his verbis: *Cum (Iohanni Bugenhagio) anno 20. Lutheri liber de captiuitate Babylonica perlegendus traderetur, paginis aliquot, in eo, perlustratis; Multos (inquit) a passo Christo salvatore hæreticos Ecclesiam infestasse ac duriter exercuisse dixit; sed nullum in eius libri autore pestilentiorem vnquam extitisse.* Post aliquot verò dies, libro attentius lecto ac relecto ac singulis accuratius pensitatis, reuersus ad collegij sodales: *Quid ego vobis, inquit, multa dicam? vniuersus mundus caecutit, & in Cimmeriis tenebris versatur. Hic vir vnus & solus verum videt.* & ibid. *Eandem efficaciam nostra huius doctrina, miraculosam planè, in aliorum quoque aduersariorum cordibus, se exseruisse & adhuc exserere non est quod dubitemus, quamuis ipsi vino meretricis Babylonicæ inebriati & dementati publicè id fateri detrectent.* Quæ verba, lector, explicandæ insaniæ satis sint: verè illius pædagogi, & contribulium

Vniuersus mundus in Cimmeriis tenebris versatur; vnus Lutherus, & solus verum videt.

Iuuen. sat. 2. *simplicitas miserabilis: hic furor ipse*
Dat veniam.

Sed quia est affectata in sania, non caret extremâ noxâ, homo post natos homines turpissimus, & ex omnium scelerum colluuione natus: qui non dubitat affirmare, non se dubitare

bitare, quin Catholici veritatem agnitam dissimulent. Rectè Æschines: τῶν συκοφαντῶν, ὡς κακούργων δημοσίᾳ, προβολὰς ποιέμεθα: *de calumniatoribus, tanquam maleficis publicè conqueri licet.* Et quærat aliquis, quid causæ fuerit, cur S. Ambrosius, hæreticos detestabiliores esse dixerit ipsis Iudæis, qui carnem Christi crucifixerunt. Certè non dubito, quin S. Chrysostomus, (vbi hæreticos à Spiritu immundo obsessos & gentilibus esse peiores affirmat non esse dubium; tũ contra Arianos sine vlla dubitatione sic argumentari nos docet; Arianus est: Ergo Diabolus est;) si nunc revixisset, & aphthas Halensis illius vidisset; non de Ariano argumentum nos ducere iussisset ad Diabolum: sed de tali Lutherano vbiquitario: Est Halensis vbiquitarius: ergo est Diabolus. Qui bonum ciuem se præstare vult & ad Lucilliana præcepta vitam dirigere;

τῶ περὶ τῆς παραπρεσβείας λόγω. *Orat de falsa legatione.* 3. *de fid c 3.* *in Matth. Homil 13.*

Hostem esse atq; inimicum hominum morumq; malorum,
Contra defensorem hominum morumq; bonorum:
Magnificare hos; his bene velle, his viuere amicum.
Commoda præterea patriæ sibi prima putare,
Deinde parentum; tertia iam postremaq; nostra:

necesse est habeat illum pædagogum non modo omnium bipedùm, sed quadrupedum etiam contaminatissimum, ac deterrimum, qui non tantum in omnes Imperatores, Reges, Principes Catholicos; quib. summum debemus obsequium: sed etiam omnes Pontifices maximos, omnes sacerdotes, omnes Theologos, quibus maiorem omninò quàm parentibus gratiam & honorem debemus, tam detestandum animum, chartis suis sceleratissimis exonerat: Patriamq; illam communem, quæ omnes caritates omnium nostrum complectitur, cælestem illam Hierosolymam, id est, Catholicam Ecclesiam, pro Antichristiana, Matremque illam omnium pijssimam ac sanctissimam, pro Thaide seu meretrice Babylonica haberi postulat, eademq; sententia, quotquot vbiuis gentium sumus Catholici, velut Antichristi de grege porcos, nullius cõscien-

tię, execrabiles ait toties repetitis vicibus. Quem ego quidem, & hoc nomine, omnibus probris, quæ improbis viris digna sunt, digniſſimũ arbitror; vti arbitratus illius cauſas iam dedi, ipſis Dominis Magdeburgenſibus; quòd vt in tyrannidis Pontificiæ ſecularis demonſtratione Apologetica pag. 1. ad Lectorem, ait *reductam ante ſeculum, ex domo Obed Edom ἀνθρωποδόλων Romanenſium arcam fœderis, cum benedictione, ad tabernaculum Domini, poſt tot ſæculorum latibula*: &c. ſic & *pag. 4. palmæ ſecularis* affirmat; *inſtinctu ac ductu diuino reducendæ poſtliminio veritatis Euangelicæ, nouem penè ſeculorum periodis, humanarum ſuperſtitionum tenebris denſiſſimis inmerſæ aleam feliciter iactam anno ſupra milleſimum, aborbe redempto, quingenteſimum decimo ſeptimo*, idq; à Luthero; quem vocat non tantum, Megalandrum & Thaumaſiandrum, ſed etiam Theandrum *fol. 6. epiſt. dedicat. inter num.* 10. & 11. Hoc ipſo enim non tantum ſumma fit contumelia Imperatori Carolo V. qui teſtatur (quod res eſt,) *immanitatem Lutheri atque rabiem nullius oratione ſatis explicari poſſe: nec hominem eſſe qui ſic agat, ſed dæmonem potius, humana ſpecie.* Sed etiam magna in Deum effunditur blaſphemia, qui ſponſam ſuam tot annos, contra datam fidem tot oraculis repetitam, adeò fœdè Antichriſto proſtituerit, vti illud oſtendimus. Vt omittam hic, quam ingratum (quem Seneca affirmat infra homicidas, tyrannos, fures, adulteros, raptores, ſacrilegos, proditores: niſi quòd iſta omnia ab ingrato animo ſunt:) ſe præſtet Halenſis pædagogus, qui non agnoſcit beneficium, quod velint nolint, Saxones debent Romano Pontifici, qui illos à Carolo Magno domitos, fide Chriſtiana imbuit. Imò planè inficiatur Saxones ad fidem Chriſti conuerſos fuiſſe, cum ait fidem Euangelicam novem penè ſeculorum periodis immerſam fuiſſe humanarum ſuperſtitionum tenebris denſiſſimis, vſq; ad annum 1517. Nam cum Saxones à Carolo Magno domiti, gentiliſſimum exuerint, demum circa annum ſeptingẽteſimum octogeſimum; & novem penè ſeculis illæ tenebræ Eccleſiam occupa-

Luthe us Megalander, Thaumaſiander, Theander.

Sleid lib 3. Anno 1521.

Lib 3 de Benef cap. 10

cuparint; sequitur, non à gentilissmo, ad fidem Christi Saxones traductos, sed Antichristi factos mancipia. Si dicat Halensis. in Ecclesia tum errores quidem irrepsisse, tamen inter illos fuisse veram Ecclesiam; non euadit fustuarium. Ecclesia enim errans in fide, non est Ecclesia. At illo Caroli Magni æuo, sacrificium Missæ fuit, Purgatorium, liberum arbitrium, opera bona, Monachorum vota, Sanctorum inuocatio: &c. Quod si cum illis erroribus, quos Lutherani vocant, Ecclesia vera potuit consistere; quid Ecclesiam illam clamant Apostaticam, Antichristianam sedem? quod si non potest Ecclesia pura in medijs illis erroribus consistere, cur non palàm aiunt, nunquam Saxones in vera Ecclesia fuisse, ante annum 1517. à quo ducunt initium sæculi? appello tuã æquitatẽ Lector: nunquid

Fas odisse viros atq; omnia ferre sub auras
Si qua tegunt?

viros, inquam, istiusmodi, qui odio Romani Pontificis adeò in furorem dati sunt, vt non tantum Francos, Germanos, aliasq; gentes, sed etiam se ipsos negent Christianos fuisse, ante Lutheri tempora?

Herodotus l 4. cõmemorat, sub Dario, Persas cõmisso aduersus Scythas prelio, asinorũ ope victores extitisse, nõ virtute aut robore, sed ruditu: quo Scytharũ equi perterrefacti pugnã detrectarint. Germanicus in Arati commẽt. fabulã tradit; cum bellum inter cælites & Gigantes ferueret; à Libero, Vulcano & Satyris, victos Gigantes asinorum præsidio, qui cum fædum ruderẽt, Gigantes illos terrefecerint. Cũ anno seculari moueret agmẽ Lutheranorũ, in Catholicos; idem tentarũt, & asinos non paucos aciei inmiscuerũt, qui experirentur quantũ voce illa possent. Inter alios non postremũ videntur exciuisse pędagogũ Halensem illum, qui quanto posset ruditu maximo Catholicos peteret: sed stratagema nõ succesit. Vnus n. illorũ fustuario instructus, plurimos sic abegit, vt ruditus illorũ hactenus tenuerint. Vnus Halẽsis leui abactus fustuario, iterũ vocẽ

tentare voluit. quàm feliciter, tuum esto, lector, iudicium; qui tonsillum vel agolum videbis, quod aptaui, istiusmodi beluæ: & nosti τοὺς πονηροτάτους καὶ τοὺς ἐξαγίστους ὀνομαζομένους, τὰς γεσυμφορὰς σωφρονίζειν: *Improbissimos, & quos deploratos nominant, calamitatibus erudiri.* At Asinus palmatus, tam contumax pecus fuit, ὥστε οὐδὲ παθὼν ἐνουθετήθη: *vt ne acceptis malis sit factus emendatior.* Quod si mitius tractari voluisset, non tam fædè recalcitrasset. ô Iuuentus infelix! ô respublica misera, cui talis ingeniorum morumque formator, quâ plagâ cælesti, qua Numinis vindicta contigit? Quid agitis, viri Halenses, qui filiorum vestrorum corpora effigiastis, an animos illorum tam fædo inscitiæ omnis inficitiæq; retrimento tradetis? Rectè Iudæorum politissimus ille scriptor Philo, priore libro, quem inscripsit περὶ νόμων ἱερῶν ἀλληγορίας, mentem ceræ instar esse docuit, cui cum forma impressa est nulla, quamlibet potest recipere. Eadem est Platonis sententia; animum vt ceram, esse, cui insculpi queant formæ qualescunq;. at quid bonarum formarum inscribet liberis vestris ille pædagogus, tam fæda tetricaque ignorantia, quantam lineamentis aliquot ostēdi, & vos ipsi arbitrabimini? Diogenes cum olim puerum quendam videret sese gerentem indecentius, pædagogum illius baculo percussit, hoc dicto, cur sic instituis? quod enim adolescentem malè moratum videbat, meritò primæ suæ ætatis formatori impegit. Reuixisset ille Cynicus; & asinum palmatum istiusmodi Halæ inuenisset; hui! quibus baculis elumbasset tam rude animal; ad quantas clitellas, è scholis, abegisset?

Demosth. orat. in Aristogeitonem

De sacris alleg.

In Theateto.

ASINI

ASINI PALMATI LINEAMENTA QVÆDAM, ΚΑΙ ΖΩΓΡΑΦΗΜΑΤΑ.

Vina delineationes.

VT qui sit Halensis ille tenebrio, non tantùm vos sciatis, viri Amplissimi, Consultissimi, sed etiam alii nonnulli, qui norunt quanta sit virtute & ingenio R. P. Adamus Contzen, Societatis IESV Theologus, flosculos nonnullos vestris naribus subiicio, quos ludi-magister ille vester, aut (ne quam sibi, vel Dictaturæ suæ scholasticæ ac ferulæ, clamet à me fieri iniuriam: Rector, corollæ suæ palmatæ attexuit. Vel si fortè neget sibi quicquam esse negotii cum floribus, homo indole prorsus orbiliana: contendatque Papistarum, & Purpuratorum Antichristi Romani satellitum esse, Floralia celebrare: sibi verò fasces relinquendos, & batualia, cum pulvillo, è quo suis Halensibus dictet oracula: Audiamus enthusiasmos, & primum carmen illorum, quod ex Halensi tripode; famosi libelli primo frontispicio inscriptum est:

Asini palmati primus agalma.

Tyrannidis Pontificiæ secularis demonstratio Apologetica, Calumniarum ac ineptiarum nebulis, quibus Adamus Contzius Iesuita Moguntinus Solem huius veritatis, in palma seculari Lutherano-Euangelicæ detectæ, obnubilare scurriliter ac Veteratoriè, in Coronide sua Iubilorum est conatus, &c.

——non vnquam plenior artus
Phœbados irrupit Pæan, mentemq; priorem
Expulit;

Lucan. 5. Pharſ.

Expulit; atque hominem toto ſibi cedere juſſit
Pectore. bacchatur demens.

ſed non perturbamus inſtinctum Apollinis. in epiſtola nuncupatoria: *Ipſe hic Pontifex ac commentitius Chriſti Vicarius, Magnus ille Antichriſtus Occidentalis, Spiritus Dei penicillo in Daniele, Paulo & Ioanne nobis deſcriptus, ac vivis ſuis evidentiſſimiſque coloribus, tanquam notis minimè fallacibus depictus Dan. 7. v. 21. & 8. 23. & 12. 1. 2. Theſſ. 2. v. 3. ſeq. Apoc. 13. 17. 18. &c. quorũ certitudine ac eventu in Papam Romanum: omprobato furere ac inſanire videas, quicquid beſtia charactere inſignitum,* &c. Varius ac multiplex eſt τῶν μαινομένων furor: ac talis non rarò, vt cum maximum furit furorem, qui correptus eſt inſania, nihil in ſe tamen præferat futioſi; ac voluptatem iucunditatemque in aliis potius moueat, quàm horrorem vel commiſerationẽ. Eiuſmodi ille apud Horatium; —*fuit haud ignobilis Argis,*

Epiſt. 2. l. 2.

Qui ſe credebat miros audire tragœdos,
In vacuo latus ſeſſor plauſorq́; theatro.

Quo in genere ſit nobis furioſorum, ille pædagogus Halenſis, qui palmam ſecularem Lutherano-Euangelicam preſſam non oppreſſam ſibi fingit: qui tropæa, victoriasque ſibi pingit, quas Lutherus cum Symmachis ſuis reportarit, à Pontificiis ac Sacramentariis, & cæt. qui Solem veritatis in palma ſeculari Lutherano-Euangelica detectæ, ſe peperiſſe ſibi imaginatur. Iuno Lucina fer opem: opigena, Iugalis, Cinxia, Februalis: ſiue te quo alio nomine fas eſt nominare. qui, ne quid deſit in meteoris illius cerebri lymphati, calumniatũ atq; ineptiatũ ſcurriles ac veteratorias (notate Halenſia illa epitheta Saxones Grammatici:) nebulas vulcano propitio, irato cudit: & ne quid caliginis offundant illi Solibimo miſerè metuit. qui ad imaginarium neſcio quod Antichriſti idolum,

Virgil.

Et tentat ſeſe, atque iraſci in cornua diſcit,
Arboris obnixus trunco, ventosq́; laceſcit
Ictibus; & ſparſa ad pugnam proludit arena.

Quoties ſacrificium propter viam fieret, hominem Sabinum ad id adhiberi ſolitum ait Sinnius Capito; eò quod affrabrè Sabinus ſe illis ſomniaturum promitteret, & poſtquam è ſomno euigilaſſet, narraturus eſſet quicquid in illa ſacra quiete vidiſſet, quod quidem eſſet futurum ex ſacrificii religione. Velitis iubeatis Quirites; pædagogos Halenſes habuiſſetis, & omnia Sabinorum ſomnia, ne vno titiuilitio emiſſetis, ſed ne quid illius nõ inamœnę quietis abrumpamus cauendũ eſt; & linguis fauemus; & pergit Morpheus ille Halenſis: *Quod ſi,* in quit, *periculo facto & συγχρόνοις inſtituta, non tam ouum ouo ſimile, quàm filium illum perditionis, hactenus in templo Dei ſedentem deſcripto Antichriſto, i. que non doctrina tantùm*

Sabini quod volunt ſomniant: & pædagogus Halenſis.

um blasphemæ ac Antichristianæ planè rationi, sed factis ipsis truculentis ac grassationibus in animas & corpora fidelium, oculis Dei & Ecclesiæ ipsius exposueris: ibi quidquid mendaciorum & calumniarum, vel ipse Orcus infernalis eructauit vnquam, in huius mundi veritatem congeri deprehendes.

Talibus ex adyto dictis Cumæa Sibylla
Horrendas canit ambages, antroq; remugit: 6. Æneid.
Obscuris falsa inuoluens. ea frena furenti
Concutit, & stimulos sub pectore versat Apollo.

Ex eadem cortina est, quòd d cta epistola air, Adamum Contzen referre ingenium patriæ suæ, *qui calumniando optima & verissima nomen hinc sibi promeruit.* Adamus Contzen *rudit in sua Coronide, quam vocat omnium iubilæum: satis demonstrat se esse ex illorum numero, de quibus Bernardus scripsit, qui docuerunt linguas suas loqui mendacium, diserti aduersus iustitiam, eruditi profallere, sapientes, vt faciant malum, eloquentes vt impugnent verum, astruentes propria et comperta, sed sua; struentes de proprio calumnias innocentiæ, destruentes simplicitatem veritatis, obstruentes iudicij vias.*

Concedite atque abscedite, omnes de via decedite: Plaut. Amphitr.
pro fascibus virgarum ac ferula pædagogus Halensis Circæam, ni fallor, virgam sumpsit; periculum est ne Adamus Contzen in istiusmodi monstra transformetur. Sed non metuit murmur illud magicum, aut qualescunque diras barbaras, sacerdos in illa Ecclesia Apostolica, Catholica; in qua non tantùm fides, sed etiam spes ac caritas inuiolabilis erit vsque ad consummationem seculi, atq; inter illos, qui in nomine Iesu ejiciunt mala dæmonia. *Non Dindymene, non adytis quatit*
Mentem sacerdotum incola Pythius Horat. l. 1. Carm. od. 16.
Non Liber æquè: non acuta
Hic geminant Corybantes æra;

Vt nescio quæ bilis illum territum. *Veritatis deesse*, inquit, *patrocinio necessario videretur, & cum os mendax ac malitiosum* (Contzeni) *obtundere scripto hocce Apologetico volui, ne Morus ille insultitia sua videretur sibi sapere, & sicut hocce genus hominum feracissimum esse consueuit, moria hac sui similes efficeret alios plures.*

—— ô carnificinum cribrum, quod credo fore,
Ita te forabunt patibulatum per vias stimulis.

Hæccine tu in caput illud Deo consecratum? Tuum est, prætextatorum Halensium podices pertundere aut euertere. tu vitis religione & virtute antiqua rarissimos oscilles? dignus, quem Senatus populusq; Halensis, aut Magdeburgensis, si malis, denudatum, ac manibus post tergum ligatis, tradat suis pueris, virgasque eis det, quibus te extra vrbis

suæ

Liuius lib. suæ pomætia agant euerrantque, vt Camillus olim pædagogum illum proditorem, pueris suis tradidit, qui eum virgis in vrbem, quam per ipsos dedere volebat, redigerent. quod si facerent populares tui fortean ad te redires, nec deinceps insultares tam furiosè viris, omni diuina humanaque sapientia ac pietate spectatissimis. Pergit in eadem phrenesi: *Thrasonis illius siue stupendam insciti am si haecce ex historiarum monumentis non animaduertit; siue malitiam Satanicam, si manifestam veritatem dissimulat, mirari haut satis possim.*

Lucanus

Talis in Euboico vates Cumana recessu,
Indignata suum multis seruire furorem.

Hæc è spelunca sua Cacus Halensis offudit vobis, Viri Senatores Amplissimi, Consultissimi, in ipsa famosi libelli sui inscriptione, & spatim in epistola dedicatoria. quid Lectori faciet?

Alfonsus Aragonum Rex, cum aliquando mulierem vidisset proteruè saltitantem, Expectate, inquit, mox Sibylla edet oraculum. quid hic pædagogus noster? ordine præpostero, primùm fundit oracula, post edit tripudium. pag. 1. *saltat spirituales saltus fortiter ante Dominum: sed Michol illa superba, meretrix aquis multis insidens, filia Sauli reprobi, iniqui illius & perditi Antichristi, prospiciens de fenestra altius sui obnititur;* &c.

Asinipalmati tripudium

O Melibae! Deus nobis haec otia fecit.

Ecce vobis pædagogum vestrum ὀρχηστοδιδάσκαλον. Scimus per Iusum fuisse veteribus, à Dorico & Phrygio concentu *ἐνθουσιασμοὺς & diuinos raptus fieri. Vt non miremur Themistoclem olim quòd recusasset lyram in epulis, habitum fuisse indoctiorem: ac proinde Epaminundas Thebanus, ad declinandam istiusmodi infamiam, præclarè fidibus cecinerit. Et quidni senex iam Socrates, lyra erudiri non erubuerit? Sed quis Lyricorum *ἰῶν μελοποιῶν huic flagritribæ τὸν ῥυθμὸν præiuit? Quicunque fuit, Lydium modulum inflare debuit, qui intellectum obtusis acuit, teste Cassiodoro: vel Æolium; qui animi tempestates tranquillat. Ex Homero accepimus, Chironis Musicam talem fuisse, vt Achillis iram concoxerit. talem Halæ inuentam oportuit componendæ pædagogi illius cholerae. sed frustra sumus. Alii cantu Strabonis elephantos mulceant, aut Delphinas moueant. Ischiadicis (si fides est historiae:) cum maximè dolent, tibicen lenibus modulis incinat, dolores minuat: viperarum hominumque morsibus incentiones tibiarum medeantur.

*prosultorē
*Furores fanaticos.

*Poetarum Numerum

Tollere nodosum nescit medicina cerebrum.

Deplo-

Deplorata res est morbus cerebri, in jubilante, & spirituales saltus fortiter ante Dominum saltante pædagogo Halensi.

Quo teneas vultus mutantem Protea nodo?

Psallemus ergo, inquit, *& adhuc jubilabimus Domino:* pag. 2 & 3.

(*Incipe Manalios mecum mea tibia versus.*)

Nos enim elegit hæreditatem suam: introduxit ac plantauit nos in monte hæreditatis suæ firmissimo habitaculo suo, quod operatus est Dominus, reprobata malignantium Eccclesia, ac spiritu oris sui confecto homine peccati, & perditionis filio Antichristo Romano cum suis satellitibus. Quas laudu diuinæ buccinas humili spiritu, mente & voce decantatas, quæ augmenta quas celebrationes, quæ miranda Dei opera vel orbis totius noui expugnationibus aut conuersionibus longè majora ac superiora Christiana ducit Ecclesia: nihil addubitans, irrisores horum suorum gaudiorum (Rastios Contzenos) stultos, steriles, cum Michol vsq; ad diem mortis futuros miseros, miserabiles, pauperes, cæcos ac nudos: miseros pertinacia ac insciti; miserabiles duritie cordis callosa: pauperes defectu virtutum spiritualium; cæcos mentis oculis; nudos fidei veste ac caritatis; &c.

Mopso Nisa datur: quid non saltemus amantes?

Lepido furore quondam fuisse correptum, in Æliano legimus, Thrasyllum quendam Aexoneum: qui vicus, seu tribus quidam erat Athenis. domicilium is relicta vrbe, in Piræo figens, naues omnes quæ ad portũ appellabant, suas putabat esse, & describebat: rursusq; è portu dimittebat, & quæ saluæ incolumesq; portum intrauissent, quasi suas, mirifica animi voluptate excipiebat. Halensis pædotriba iste, etsi paulo illepidiorem, tamen haud prorsus injucundam furit insaniam, qui valetudinarij sui antrum quod insidet, Musæum putat; inibiq; nescio quam domum Obed Edom, ἀνθρωποδόλους Romanenses, arcam fœderis, tabernaculum Domini, & nescio quãtum enthusiastici illius apparatus videre se ad oculum apparet illi Michol illa superba, meretrix aquis multis insidens, filia Sauli reprobi, Antichristi, & quicquid est laruarum nocturnarum, quas ipse Morpheus nunquam viderit, nunquam visurus sit. semisepultorum phantasmatum cinnos, & nigri nescio cuius silentij aut somnij vmbras recenset enthusiastes, & cogitationum fanaticarum naenias, vẽtorum instar in vincula impedit, & Vlyssis vtre claudit. In nubibus & igni, malè feriati homines, nescio quæ rerum simulacra distinguunt: idem facit Halensis iste in igni & nubibus infelicissimæ suę phrenitidis.

Lib. var. hist. lib. 4. c. 25. Amabilis insania Thrasylli Aexonei.

Homini suo.

Simili correpto Halensi.

Omnia quæ sensu voluuntur vota diurno,
Tempore nocturno reddit amica quies.

Claud. præf. Honor.

Lib. de opific. Dei. Traducitur, inquit Lactantius, mens cogitatione cæca, cùm cogentibus tenebris, secum tantummodò esse cœperit: dum intẽta est in ea, de quibus cogitat, repente somnus obrepit, & in species proximas sensim ipsa cogitatio declinat. Sic ea, quę sibi ante oculos posuerat, videre quoq; incipit. Et quid mirum sit, ab illo seculari, *post tot*, vt ait pag. 1. choraule sille festiuissimus, *seculorum latibula*, jubilo, & clangore buccinæ & tripudiis spiritualibus, quæ saltauerat, præeunte ni fallor, rythmos Berta sua, vel facem præferente, ne quietem vsquequaq; illi sine labore fuisse?

Cresta ne careat pulchra dies nota.
Neu morem in Salium sit requies pedum.

Lutherus anno salutis 1517. oppugnauit abusum Indulgentiarum Pontificiarum, quem ipsi Catholici damnant maximè, & semper damnauerunt; Ergo Halensi ludimagistro

Nunc est bibendum, nunc pede libero
Pulsanda tellus.
Adsis latitiæ Bacchus dator, & bona Iuno.

Sed quid à jubilo, & spiritualibus illis saltibus, in viua, tam repente, capita insilit lymphatus ille pædadogiarcha? quid ab histrionia & socco, tam subitaneo raptu ad cothurnum & pugnas tragicas? Iesuitæ, perturbãt fortassis illa jubila? Negat ipse jubilator palmatus secunda furiosi carminis sui pagina, his verborum spumis: *nec bombi ac susurri crabronum Iesuiticorum jubila nostra, parte etiam minimâ, perturbant.* Vnde ergo thyrsi illi, inquam?

Cur domus interior gemitu miserog; tumultu
Miscetur? penitusq; cana plangoribus ædes
Femineis ululant?

& à quibus Orgiis petitæ voces illæ, in Ecclesiam Catholicam? in supremum Pontificem Romanum? in omnes, qui illum vt caput venerantur militantis hîc Ecclesiæ? cur tibi Rœstij, Contzeni, (pag. 3.) *stulti, sterilis, cum Michol viq; ad diem mortis futuri?* &c. ô cerebrum cerritum! Videtur hic Vulcani irati filius Androgynos velle cudere, & viros religione reuerendos cum Michol combinare. Frustrà es trifurcifer. isti viri castimonia sunt inuiolabili. Tu si quam Faunam habes, & ex illa liberos, præsertim qui te Gaium & Gaiam tuam indole referunt, cum nepotulis nepotulabusq; illis salillo quouis purioribus, si qui sunt reliqui, stupratoris illius Islebij Patriarchæ tui, & Catharinæ monialis Patriarchis tę tuę, commisceas licet; sat de fæcatâ, toto iã prope seculo, incesti illius cotus inpuritate, expiatoq; iam crimine, quod ille monachus, & tot annos sacerdos,

cerdos, duplici cõtinentiæ voto ſacer; hæc, abiecto ſuffibulo & flameo, quod nunquam ponere potuit, exuto peccarunt, *nõ ſolum ad iniuriam hominum*, Iuſtiniani Imp. verbo, *ſed ad ipſius Omnipotentis Dei irreuerẽtiam*. Ite, inquam, Vos ex illa fætura, creſcite & multiplicamini: nec à maioribus illis veſtris degenerate. Sermones, poſt illam tuam hiſtrioniam, (quales in conuiuio habendos apud Agellium Varro docet:) ſerere debuiſti non ſuper rebus anxiis aut tortuoſis, (quid dicam Antichriſti Rom. ſatellitio?) ſed iucundos atq; inuitabiles, & cum quadam illecebrâ & voluptate vtiles: ex quibus ingeniũ venuſtius potuerit fieri & amœnius. Quòd ſi quæ dilucida ſcirem homini iſti redire interualla, quærerẽ ecquid cauſæ poſſet dare ſuper illa ferocia, qua ſæuit in illos viros, quouis oleo trãquilliores: quos, niſi prorſus de cerebro illius conclamatum eſt, haberet præſentiſſimos ſui morbi Æſculapios: qui, cum nuper, in ipſo ſecularis diei ſurgentis auſpicio, ſub anteculanum malè ominatę aurorę initium, ſubitõ vidiſſent inhorruiſſe cœlum, & rubentem Veiouis alicuius dextram, à malo quodam Genio, in Prædicantis non vnius culmen torram; & ardere tigna, moxq̃; ipſi plutei codicesq̃; poſtillares & conciones funebres cœpiſſent, adeoque omnia prope maiuſculorum Prædicantium Muſea, graſſante incendio promiſcuo obſeſſa eſſent, fontis ſoſpitalis beneficio flammam expugnare conati ſunt. Non voluerũt, inquam, Ieſultę illi ſtatim perturbare veſtra (o) ὑβριστήρια, aut (p) Φιλίνια euertere: (notant enim vobis in vſu eſſe non infrequenter quibuſcunq; Saturnalibus ſic *Ἰωνιάζειν) ſed illos ſeculares (q) συνθιασώτας cupiebant agere illa (r) σωσίπατα ſua paulo frugalius. Videbant illa (ſ) Φιλήσια veſtra nimium (t) ἄφιλα καὶ ἄμικτα: & modeſtiorem optabant ac ſaniorem i lam premiſcuam omnium Veſtrum (u) Δημοθοινίαν. Rectè enim Paulus Æmilius, aut ſcitè olim eiuſdem eſſe artis dicebat, aciem bene inſtruere, & cõuiuium exhibere: illam vt hoſtibus ſit quàm maximè formidabilis: hoc, vt amicis ſit iucundiſſimum. At vos non è tripudio, ſed in ipſo tripudio rixam mouetis, & confuſam, ac tantùm non cruentam pugnam. in ipſo Comi limine, quos cothurnos induiſtis? At quid hoc eſt flagitij?

Natis in vſum latitiæ ſcyphis
Pugnare Thracum eſt. tollite barbarum
Morem, verecundumq; Bacchum
Sanguineis prohibete rixis.

Lapitharum ac Centaurorum ſint veſtræ illæ choreæ, ac Baccharum Bacchan-

L. rapt. vnica. C. de raptu virg. ſin vid.

(o) *Sympoſia puberum.*
(p) *Conuiuia amicorum. Vide Plut. Athen. Eustath. & alios.*
Floridè cõuiuia agere.
(q) *Sodales conuiuatores.*
(r) *Adulterij in Prytaneo Athenis conceſſationes.*
(ſ) *Promiſcua ad ſtomachum cum tenuioribꝰ obſonia.*
(t) *Ingrata conuiuia ob turbam confuſam.*
(u) *Publicũ epulum.*

Bacchantium saltationes, quibus, quasi arma desint alia, faces ipsas tradasq; in pugnam raptastis, & exstinxistis.

Sed magno Hylæum Laphitis cratere minantem

porrò audiamus. *Mulierem ebriam sanguine Sanctorum ac Martyrum Iesu, Apocalyp. 17. v. 6. esse*, ait, *tyrannidem secularem pontificiam*: & Iesuitas *spiritu vertiginis in præceps abreptos, qui Iesu Christi eiusq; Ecclesiæ hostes acerbi, conuiciantur, narrata, collecta bona fide, scurriliter negare, vera falsis miscere, & huiusmodi inhonestis ausis pudenda Thaidis Romanæ obtegere quoquo modo malunt, quàm Deo & veritati gloriam concedentes Babylonem abominabilem Dæmonum & immundæ ac inuisarum quarumvis volucrium Φυλακὴν καὶ κατοικητήριον, tot tamq; euidentibus sub noui huius seculi, à reformatione secundi ingressu documentis, comprobatum, vt Phœbeis radijs clariùs fieri non posset, damnare, exire ab ea & animas suas aliorumq; saluare.* pag. 4.

Asinus palmatus hydrocephalo laborans.

Hydrocephalum esse morbum tradunt medici, qui pueros infestet, & adultos etiam corripiat tumore quodam capitis præternaturali, quo maximè læduntur functiones naturales & animales, cum propter humores illos qui cerebro innascuntur, tum verò propter flatus; vnde à Paulo Ægineta vocatur capitis inflatio, quæ vertiginem parit, quæ inuadente nec ventum fert æger, nec Solem; & aures tinniunt. Vomitq; homo saliuam, & pituitam; interdum etiam cibos. tali, vel non absimili morbo correptum fuisse oportuit Halensem illum præsultorem, cum istiusmodi frusta esculeta & crapulam pridianam redolentia euomuit: quare omnino hinc ad *ἀρχίατρον* Magdeburgensem ablegandus est. *primum medicum.*

Media fert tristes succos, tardumq; saporem
Felicis Mali: quo non præsentius vllum,
Pocula si quando sæua infecere nouercæ,
Miscueruntq; herbas & non innoxia verba;
Auxilium venit, ac membris agit atra venena.
Ipsa ingens arbos, faciemq; simillima lauro:
Et si non alium latè jactaret odorem,
Laurus erat: folia haud vllis labentia ventis:
Flos apprimè tenax. animas & olentia Medi
Ora fouent illo, & senibus medicantur anhelis. *Virgil 2. Georg.*

Ad eius benolentiam

Illam arborē, cum bona medicorū venia, cōmendamus tympanotribæ illi, *πρὸς φύματος ἐυωδίαν*; cui tā fœdum olet anima, vt, si nō emendet, laqueum ad illam arborem sibi aptet, quo mephitim illam suffocet, ac cœlum

cœlum hemisphærium que hoc nostrum illa fœtidissimi oris sui δυσοσμία liberet. Interea nos, quanto possumus alexipharmaco, nares aureſque muniemus ad quædam alia, quæ eructat ex eadem φωληγρία Comus ille. Adamum Contzenum pag. 5. vocat *Morionem ad miraculum festiuum ac ridiculum, pompoſo geſtu ac habitu nominis amulo ſe ſiſtentem, ac partes magnæ illius ſanguiſugæ agentem.* ibidem ait; *Romanum illum animarum & corporum latronem, potentia & gladio imperatorio abuſum in eos, qui impia ipſius dominationi, & horrendis doctrinæ corruptelis contradixerunt, crudeliſſimè fuiſſe graſſatum:* &c. pag. 7. *Ieſuitas eſſe bellorum tubas ac ſuſcitabula, regicidiorum auctores, approbatores, defenſores: quibus Sancti ac vncti Domini, Dei habentes imaginem, ſicut Epiſcopi Chriſti, contriti, ac altiſſimi non ſancti modò, ſed ſanctitas ipſa, ſeu religionis ſacroſanctæ veritas deleta & oppugnata fuit;* &c. pag. 9. Vocat Adamum Contzenum, perfidum. pag. 15. de eodem ſcribit, nota marginali; *Perpetuus caput hocce fatuum inflammat Sirius.* pag. 20. item marginali nota; *Occacati oculi & mens peruerſa Contziana.* pag. 23. *Mentitum egregiè ac planè Ieſuiticè de Lutheranis aio Contzium,* &c. & ibid. ad marginem: Leug Teuffel leug. pag. 25 *mentiri impoſtor,* (Contzius) ait, *in gratiam Idoli ſui Romani, à ſanguine martyrum, vindicandi non ceſſat.* pagina dicta & ſequenti 26. *Habemus ergò adhuc, quod miremur & tam friuolis ratiunculis Contzium, ſanguinarium illud perſequendi ac in exilia agendi Romana meretricis, ebria martyrum ſanguine, inſtitutum palliare fuiſſe conatum; & Pontificios hinc tandem non intelligere, cuius ſpiritus ſint filij, tenebrarum ſcilicet, homicidæ ac æterno protoplaſtos noſtros olim, Deo permittente, mulctantis exilio: cum quo, niſi auſis iſtiuſmodi maturè acta pœnitentia abſtinuerint, partem olim habituri ſunt, extra ſanctam Dei ciuitatem, cum Beſtia ac Pſeudoprophetâ, in ſtagno ignis ac ſulphuris, Apocal. 20. v. 10. pag. 35.* Pontificem Romanum, vocat Neronem Romanum. *pag. 37. Conſtat intentionem Pontificis eſſe,* inquit, *Romanam ſedem ſartam tectam ſeruare, & proinde caput ſe non agnoſcentes trucidat & perſequitur, non hallucinantes in articulis alijs, vti exemplo ſunt ſecta in regno pontificio multiplices, tuta à fulmine Papali omnes, quia fulminanti ſem adorant & Maieſtatem agnoſcunt.* Et ibid. ad illa, marginali nota: Huret/bubet/ſeyd nur nicht Lutheriſch. pag. 41. *Inquiſitores ac venatici canes Nimrodi Romani, partim cuſtodijs vigilibus captiuorum, partim chartæ atramentique denegatione ac ſubtractione, partim loquela, per lupata aut linguarum praſionem, inhibitione, partim clandeſtina & abſque iudiciali cauſarum cognitione, cade; partim denique actorum, confeſſionum, diſputationum cum Inquiſitoribus habitarum ſuppreſſione, ac combuſtione, lucem hiſtoricam obtenebrare fuerunt conati.* pag. 43. *Quis non arbitrabitur, inquit, Pontificios prætextibus multifarijs, nouis mendacijs, perfidis aſſertionibus, pudenda Romana meretricis obuſlaturos, ne orbi*

Conuiualis domo.

Hydrocephali Halenſis virus & pituita.

orbi terrarum pateſcat? pag. 46. *An non potius vnus*, ait, *vtroſque* (Calvinianos, Pontificios) *homicidij ſpiritus agitat, & in ſanguinem armat animatque Lutheranum?* Hala quid exhalas? quid alis?

Proxima Circææ raduntur littora terræ,
Dives inacceſſas vbi Solis filia lucos
Aſſiduo reſonat cantu: tectiſque ſuperbis
Vrit odoratam, nocturna ad lumina, cedrum;
Arguto tenues percurrens pectine telas.
Hinc exaudiri gemitus, iræque leonum
Vincla recuſantum, & ſera ſub nocte rudentum:
Setigerique ſues, atq; in præſepibus vrſi
Sæuire, ac formæ magnorum vlulare luporum;
Quos hominum ex facie, Dea ſæua, potentibus herbis
Induerat Circe in vultus ac terga ferarum.

Virgil. Æneid. 7.

Ex vna Hala, inquam, quicquid eſt iſtiuſmodi monſtrorum, audimus, & quis Iatraliptes Magdeburgenſis aſinum illum, non Madaurenſem, ſed palmatum Halenſem, formæ humanæ reſtituat? I nunc & fabulari dic Poetam illum, quiſquis es, qui monſtrum illud, quod Hala, imò terra ſuſtinet, hic audis; & nega verum eſſe, quod alter ait:

Quodq; magis mirum eſt, ſunt qui non corpora tantùm,
Verùm animos etiam valeant mutare liquores.
Cui non audita eſt obſcœnæ Salmacis vnda?
Æthiopeſque lacus? quos ſi quis faucibus hauſit,
Aut furit, aut patitur mirum grauitate ſoporem.

Ouid 15. Metam.

Negat Plinius, homines poſſe in lupos conuerti, rurſumque reſtitui ſibi. at ego hoc illi neganti hic iam non credo: etſi de eſſentiali mutatione quæſtionem non moueo. & maiorem fidem Ioanni Bodino lubens habeam, affirmanti homines transformari poſſe non tantum in lupos, ſed & illa ſpecie lupas inire. Et parum abeſt, quin ipſi Alpheſibæo credamus apud Virgil. in Pharmac. dicenti,

Lib. 8. Natur. Hiſt. cap. 22.

Mag. Dæmon l. 2. c. 6.

Has herbas, atq; hæc Ponto mihi lecta venena
Ipſe dedit Moeris: naſcuntur plurima Ponto:
His ego ſæpe lupum fieri, & ſe condere ſylvis
Marim.

Etſi

Etsi enim non dico formam hominis, in illa transfiguratione, perire, vel animam hominis, in lupi animam verti: tamen organa illius sic viriantur, vt vulgo creditur, atque eliduntur, vt ipsius animæ functiones nullæ sint, aut esse non appareant. Ac de socijs quidem Vlyssis, quas Circe in sues transformauit, accepimus quod eadem remanserit in illis ratio, quæ forma est hominis:

Οἱ δὲ συῶν μὲν ἔχον κεφαλὰς φωνήν τε δέμας τε,
καὶ τρέχας· αὐτὰς νοῦς ἦν ἔμπεδος, ὡς τὸ παρόσπερ. Odyss. l. 10.
Hi capita ipsa suum vocesque & corpora habebant
Et setas: verùm mens ijsdem cætera firma.

At Halensis ille palmatus sic hominis formam videtur amisisse, vt nunquam ad se rediturus sit; gustata semel herba Cohobba, quæ nascitur in Hispaniola, occidentalis Indiæ insula, quam nescio quæ Canidia Halas transtulit, nisi quæ Lutherum ante dementauit, iam totum sæculum, & triennium præter propter. quid enim aliud sit diuinare equidem nesciverim, nisi forte

Toxica Zelotypo dedit vxor mæcha marito: Auson. Epigr.

quod non est meum, de ignota dicere. de asino autem palmato illo hoc sat scio, parũ me dicturum, si dicam, stultiorem Aristophaneis illis trium-Viris Coræbo, Butalione ac Melitide. Quid enim sibi vult Morychus pag. 47. vbi ait: *Quæ enim quæso*, inquit, *hæc est collectio: Basileæ & in locis quibusdam Belgij Sacramentarius spiritus Iconoclastæ violentæ dignas pœnas luit. Ergo omnes, integri seculi spatio & Caluiniani & Lutherani, quibuscunque in locis trucidati huiusmodi fuerunt? An non pudet tantum Patrem ac Professorem putidæ huius ac inepta formæ, cuius vitium, scabellis tironum etiam perspectum est? Ecquam verò gratiam putas in Schola Tanneriana formæ censoria rigida illa initurum nostrũ Contrium? Eam scilicet quam mei pusilli virgis luere consueuerunt.* Asinum palmamatum dixi Halensem illum, viri Senatores Magdeburgenses Amplissimi Consultissimi: sed vt rite nominem, quicquid illud est germinis pædagogici, aliud quærendum est ἔτυμον. stirps enim illa Arcadicorum quadrupedum haud est ignobilis. facilè enim apud Cumanos enumerat, patres, auos, abauos, atauos, tritauos maiores, in ascendenti ad perpendiculum progenie: tum, in descendenti linea, nullo negotio recenset

Et natos natorum, & qui nascuntur ab illis.

at palmatus iste Halensis, & si fortassis habet in gradu descendenti pullos

pullos ſuos, qui patrizant; tamen hunc nouum eſſe coniectare libeat, nec poſſe tam longam maiorum ſeriem vobis, aut Halenſibus ſuis edere. quod ſi verò poſſit, oſtendere ne hilum quidem ſe à maioribus ſuis degeneraſſe, ac purum putum eſſe, nec adulterinum germen illorum; patiemur illum in iſto genere quadrupedum ætatem agere: imò ſit cum reliquo grege ὄνος εἰς ἄχυρα; nec ſe volutet extra Halenſes ſuas paleas, nec areolas hortorum Moguntinenſium impuris ſuis rictibus, ac volutationibus turbet, niſi velit domum referre magnum lumbifragium. & ne vſpiam ſe iactet alium eſſe, quàm apud Cumanos. Eſt enim in Arcadico illo quadrupedum ſexu vtroque hæc generoſitas, vt calcibus non feriat, niſi quis grandem infligat iniuriam: nec moueatur, niſi à ſpecie quadam ſibi oblatâ. at palmatus iſte Halenſis, vbi nullum obiectum eſt, fingit ſibi ac ponit, quod eſt nuſpiam. ſic fingit ſibi Enthymema illud, quod calcibus ſuis feriat. quærant medici, quale ſit genus hydrocephali, quis hydrops cerebri, enthymemata ſomniare, & illa calcibus petere. nos videmus nouum genus τῶν μαινομένων, Halæ natum. Thraſyllus ille, quem diximus, longè inſaniuit iucundius. naues enim illæ, quas ſuas putabat, naues erant. at palmatus iſte, putat eſſe Adami Contzeni enthymemata, quæ nulla ſunt: nec in rerum natura fuerunt, eruntue: fanaticorum ſuorum quiſquilias & exuerrias phantaſmatum, putat eſſe argumenta Ieſuitica. Horatianus alter ille, cum Tragædos audire ſe crederet, plauſit ſibi iucundiſſimâ inſaniâ: palmatus veſter, vbi enthymemata credit audire ſe ex alijs, nimium petulca feritate calcitrat;

Aſinus ad paleas.

Aſini Halenſis petulcitas ſupra Cumanam

Furentium

— turgeſcit vitrea bilis.
Finditur: Arcadiæ pecuaria rudere credas.

Perſ. ſat. 3.

pag. 54. ait: *An mendacio ita fauent Pontificij, vt veritati in ſcripturis reuelata præfractè contradicere præſumant?* pag. ſequenti 55. ſcribit: *Pontifex R. Cardinales, monachi, Ieſuitæ, id vnicum egerunt hoc ſæculo, vt Euangelicos in Germania ſic conuerterent, quo Equi, quibus inſident Reges, toti ad genua vſque maderent ac ſqualerent Chriſtianorum ſanguine, ſicut Alexander Farneſius, & poſt Paulus III furenti perciti Tyrannicè ſub exordio irruptionis in Euangelicos Germaniæ Principes ſunt minati. Quorum conſilijs multi Potentes obſecuti & cauſam Papæ, zelo ſingulari agentes, ſpe Breuis Apoſtolici, vel Agni Dei, vel incantatæ Roſæ, vel exorciſati gladij, vel fruſtuli crucis, Regiones & ditiones ſuas præſentiſſimo periculo expoſuerunt, imò aliquando planè amiſerunt.* & pag. 57. & 58 *falſo*, inquit, *commentiſcitur Contzius, non dubium quin contra conſcientiam.* pag. 60. *ringatur licet Contzius*, inquit,

& cum

& cum eo totus malesanus Grex Pontificius, ac Caluinianus, quem ipse post idolum suum Pontificium iure potiori canonizasse diceretur, dum ipsius blasphemias in carnem Christi, eiusque maiestatem asserit, probat ac pertinacissimè defendit. & ibid. *Inuidia ac odij nullius mihi conscius sum, nisi illius, quod B. Lutherus precabatur suis, vt Deus dilectione Christi, & odio Papæ ipsos impleret. Quem perditionis filium & ego perfecto odio odi, exemplo Dauidis Prophetæ Regij: Nonne qui oderunt te Domine, oderam: & super inimicos tuos tabescebam? Quod odium tantùm mihi prudentiæ fecit reliquum, vt reuelatum illum hominem peccati aduersarium Dei, efferentem se aduersus omnem, qui dicitur Deus aut numen, & in templo Dei sedentem, & ostentantem se ipsum esse Deum; iniquum illum conficiendum spiritu oris domini, & abolendum claritate aduentus eius, magnum illum Romanum Antichristum agnoscam, eius imposturas & doctrinas dæmoniorum detester ac fugiam, ne particeps fiam delictorum eius, & de plagis eius ne accipiam.* pag. 61. clamat, *consultantem pessimè cohortem Pontificiam.* pag. 65. scribit: *Nouimus Contzium idem cum Caluinistis blasphemiarum de Christi carne, ac calumniarum in nostros doctores & doctrinam sparsarum & effusarum cornu sufflare* &c. ibid. eundem Esauitam vocat. pag. 73. *Antiquum obtinet Adamus ille morus,* inquit, *more suo Suitico grunnit, rostro minatur.* &c. ibid. *Contzius est iners ac stolidus: indomitum stertit, quo despumare falernum sufficiat; in respondendo haud pisce vocalior.* Sed ego sentinam illam claudo, quam animus non fuisset, vllo digito non dicam, sed extremo aliquo baculo tãgere, nisi vestris nominibus, Viri Senatores Amplissimi, monstrum illud bipedis, chartas illas Patroclianas inscripsisset. Quid enim aut cui homini bipes ille stipes indignationem aliquam moueret? vel quis non malit bucerdam aut sucerdam, vel lutum Lutetianum contrectare, quàm istiusmodi homerdam, & chartas eius quouis excremento fœtidiores? qui tantum abest à sanæ mentis vsu, quantum miseri illi Sabbatarij à suo Messia. monstrum illud recens enatum, eò ablegandum censuissemus, quo prisci homines ea solent asportare: vel in illo genere animalium habuissemus, in quibus, etsi præter externa corporis lineamenta, nihil ferè hominis videmus, tamen oblectamur non rarò, fortuitis illorum dictis aut gesticulationibus, quæ nobis audientibus videntibusque, non illis, quibus illa excidunt, maximè sunt ridicula. Vt autem palatini, alijque interdum homines, in gratiam Principum, dominorum suorum, vel peregrinorum, ludos faciunt cum morionibus, quo animum oblectent aspectantium: sic & ego, in nominis vestri gratiam, auritum illud animal palmatum Halense nonnihil vellicabo. nec tamen proinde sanioris cerebri esse putabimus, cum illa sua antipathia quæ illi (vt mente captis, ferè solent agnasci suæ peculiares antipathiæ) est ingenita,

Antipathia Asini palmati aduersus Rom. Pont.

Vt suæ fatuis peculiares antipathiæ: sic & Asino palmato.

nita, aduersus Romanum Pontificem & P. Adamum Contzenum, quos illum, quem in aula sua Ill.mus & Reu.mus S. R. I. Princeps Bambergensis, Dux Franconiæ, habet fatuum, qui tam mirificè à capra abhorret, vt prorsus à nomine istius bestiæ abstineat: vti stricturis quibusdam nostris clarum dabimus; vbi statum negotij ob oculos posuerimus: in gratiam eorum, quibus scriptam à R. P. Adamo Contzeno Societatis Iesu Theologo, Coronidem omnium Iubilorum Anni 1617. legere non est otium, & quos piget sarracum palmæ secularis Lutherano Euangelicæ, vel folia eius pleraque excutere. Hic ergo contextus rei est integer, vti illum posuit eximius ille, quem dixi, Societatis Iesu Theologus, his verbis, pag. 187.

Antichristus conteret sanctos altissimi.

Mihi vero facilius ad innocentiam Pontificis indicandam illa verba interpretari fas erit, & in aduersarios retorquere. Verba ipsa magnam persecutionem indicant, לקושי עלירנין יבלא sanctos altissimi, siue altorum: ita enim vsurpat illud עליונין sicut hebræ אלהים plurali numero. Itaque non recte vertunt nonnulli, sanctos altissimos siue supremos, qui cum ad regimen non attenderint, non debuerunt ita præferre septuaginta interpretibus, qui verterunt τὰς ἁγίας τοῦ ὑψίστου. *Conteret*, Rom. editio 70. habet παλαιώσει, *vetustos faciet*, seu vetustate consumet, Geneuens. vero πλανήσει, *decipiet*, Iustinus καταρρέψει, *euertet*, alij ταπεινώσει, *humiliabit*. Hæc an fecerit Pontifex quæritur, varia adferunt, sed exempla suorum, quid enim Lutherani de Caluinianis martyribus sentiant, & è contrario, quid hi de illis, dixi in Iubilo, & in instructione, de Chronologia.

Cani spiritus mendacia follis.

Præ omnibus hoc obijcit Sigismundus Euenius in palma sæculari Lutherano Euangelica pag. 27. A regibus hisce ad subditos descensione facta (sicut initio statim reformationis Pontificij, & anno 24. Archiepiscopus Moguntinus in hac etiam nostra Hala in Euangelicos sæuijt) persecutionem vnam ex altera seuerunt, & martyria multiplicarunt sine fine, adeo vt ab Anno 1550. ad 1580. triginta annorum spacio nongenta hominum millia, cæsa & ab Antichristo trucidata sint, ijque haud plebei omnes sed 39. Principes 148. Comites, 235. Barones, 147511. Nobiles, reliqui ex plebe. Quid nuptiæ Parienses anno 72. effuderint sanguinis Christiani ex historijs constat, vltra 30000. in illa laniena miserè occubuisse. Dux de Alba valedicturus Belgio 18000. ob religionem se occidisse iactitat spacio sexennij. Et viuente adhuc Carolo Quinto ad quinquaginta millia Christianorum trucidata fuerunt eodem in Belgio furem

ab an-

ab anno 76. vsque ad Gandauiensem transactionem triginta millia Hispanica Tyrannide interierant. Nec in viuos modo sæuitum sed nec cadaueribus parsum est. Hinc Buceri & Fagij corpora effossa cremata sunt anno 1556. Cantabriæ in Anglia, pio prætextu, quoniam non solum pernitiosam ac erroneam doctrinam sparsissent, sed familiam inter sectarios ambo duxissent, non solum ipsi ab Ecclesia Catholica aberrassent, sed & alijs exemplum ab ea deficiendo dedissent: Esse contra sacra decreta & disciplinam, vt vel eorum qui tales sunt, corpora Ecclesiasticæ sepulturæ tradantur. Adiuncta sunt incendia & venena, quibus certi emissarij hisce laqueis liberatos perderent & trucidarent. Per Saxoniam varia exudita fuerunt incendia, circa annum 41. deprehensi denique ex incendiarijs atque complures capti, diuersis locis: habita quæstione plerique testificabantur ad extremum vsque Spiritum, à præfectis & familiaribus Heinrici Brunsvvicensis (contra cuius calumnias, quando scriptis inuectiuis Ducem Saxoniæ hæreticum, seditiosum, Cainum, monstrum, Æsopum, nulla nec corporis, nec animæ virtute præditum proclamauerat, eodem anno scripserat Lutherus) accepta pecunia se fuisse conductos atq; summissos, vt id facerent. Imò de Pontifice Romano Antichristo, Organo Sathanæ, anno 46. quo bellum vigebat protestantium, cuius ipse Papa auctor primarius, à fide dignis spargitur, eum non modo superioribus aliquot annis per incendiarios conductos igni Saxoniam grauiter afflixisse, sed tunc temporis etiam emisisse venefi cos, qui puteos & aquas stagnantes corrumperent, vt quod ferro superesset & armis, hoc illi veneno perderent. Itaq; Protestantes monent in vniuersum omnes præsertim suæ ditionis homines dent operam, vt emissarij illi comprehendantur & subiecti tormentis, cum de scelere constabit, pœnam luãt. Nuper enim, addit Ioannes Guilhelmus Electoris filius, non procul à Vinaria oppido Thuringiæ comprehensum esse quendam ex suspicione Italum, qui sibi, & nonnullis alijs Romæ datam esse pecuniam fateatur nomine Pontificis, vt incendijs atque veneno, quantum omnino possent, per Germaniam damni darent. Nec Satan sui similis esse cessat. Anno siquidem proximo Millesimo sexcentesimo decimo, die vndecima Iunij Monachus, qui duos pagos ad magistrum equorũ Cæsaris pertinentes igni accensos deformauerat, captiuus Pragam adductus & Archiepiscopo vnà cum aliorum præterea Bohemiæ procerum, quorum prædijs ignem subijcere deberet, reperta apud eum designatione traditus est. Taceo exilia, in quibus quanta tyrannis occurrerit, ex eo solo patet, quod, sicut Mauritius dux Saxoniæ ad ordines scripsit Anno

Incendiarij Lutherani fuerunt.

Vnus testis adducitur. Mẽdacia illa sunt prædicantium, vt odia conflent Pontifici

Cur non publico iudicio de eo quæsitum est.

Hoc quoque fictum de monacho, non factum. Id etiam Caluinia-

ui fecerunt.

Quinquagesimo secundo, Concionatores & Ecclesiæ Ministros extra fines imperij passim eijciant, & non solum legitimi, sed ne Pontificij quidem Concilij decretum expectent, & ab ipsa statim executione rem ordiantur. Taceo carceres aliaque sub & ab Antichristo Romano intentos suppliciorum genera.

Hæc ille, qui si consideret, Lutheranos, à Lutheranis, Caluinianis actos exilio, nihil omnino mirabitur, id aliquando egisse Catholicos. Sed hanc iniquam esse accusationem res ipsa docet, neque enim eos omnes Papa occidi iussit, neque tam multi sunt. Sed non fuisse sanctos altissimi, cum plerique fuerint Caluiniani, hos autem non fuisse martyres ipsa palma sæcularis docet, pagin. 55. ita habet: *Martyria visa tum infirmiora ὀρθοδοξίας τεκμήρια, qua quippe hæreticos & perditos nebulones haud raro inuoluant, tum Lutheranæ professioni ac abnegationi Tyrannidis Papalis, non Zvvingliana nouitati ac blasphemijs illata. Leuissimas vero opinionum quas iactant stipulas seu festucas, trabes potius crassissimorum esse errorum, ac blasphemiarum in Dei omnipotentiam, sanctitatem, misericordiam, Christique meritum, impijssimarum. Fucum deniq; in confessionibus & reformationibus manifestiorem esse, quàm qui diiudicatione egeat, quem quippe praxis haud raro hactenus detexerit.*

Ipse Calumniator fatetur eos non fuisse martyres.

Testes de Martyribus sunt ipsum mendacium.

Deinde de numero Martyrum credit Caluinianis, quod facere non debuit. Cum in eadem palma p. quinquagesima quinta dicat. Exmendaciorum horum (quorum seges fertilis admodum apud gentem Sacramentariam inuenienda, vt non immerito B. Lutherus non mendaces amplius Zvving'ianos, sed mendacium ipsum vocandos arbitratus sit) censu primario ferè illud, & cæt.

Tertio idem ille noster accusator fatetur eos, qui cæsi sunt, deliquisse. Secundo, fuisse Sacramentarios. Tertio, ab ipsis sectarijs punitos Quarto, illos sibi illa pericula accersiuisse. Quinto, impetuose egisse, & à plebe Lutherana punitos. 6. Ipsos Caluinianos crudeliter agere, vbi rerum potiuntur. Folio 94. hæc omnia describit. Notum est, quomodo Anno vigesimo nono initium reformationis Basileæ Sacramentarius Spiritus fecerit ab Iconomachia. Cum enim quidam hasta sua statuam alicuius Diui reuelleret, sic vt in terram delapsa confringeretur: ea occasione in plures deinde manus sunt iectæ, & armati ter centum ad templum missi, qui idola seu statuas passim in templis demolirentur. Cumque è senatu quidam accurrerent motus sedandi causa, respondent Iconomachi: quod vos totum iam triennium deliberatis, an fieri debeat, illud nos vna perficiemus hora, nè propter Idola sit vllum posthac inter nos dissidium. Tertio die nouem componuntur strues ante primariam

Quales illi Martyres teste Calumniatore.

ædem

edem & inflammatæ cremantur. Quod exemplum secuti sunt Waldenses anno 61. qui similiter imagines ac altaria humi deiecerunt ac confregerunt. Simile quid in Delphinatu contigit Anno 62. vbi statuarum profligatores seditiosos minimè dicendos esse statutum, qui cum veritatis patrocinium susceperint, sui officij esse dicant tam detestandum, & pijs omnibus inuisum spectaculum è conspectu hominum tolli. Cumprimis Anno sexagesimo sexto in vniuerso Belgio tanta Iconoclastarum vehementia inualuit, vt paucorum dierum spacio Antuerpiam ac vicina loca plurima tumultu maximo & magna celeritate peruaserit: Hinc statuæ ensem in latus infigunt, illi securi caput amputant: pendentes è cruce Christi imaginem funibus è sublimi detrahunt, detractam in frusta comminuunt, altaria subuertunt, hierothecas, ornamenta, aliumque sacrorum apparatum deijciunt & expilant, ac denique patrant, quæ nemo sanus aut prudens homo vnquam probarit. Hagæ Comitis adeo in statuas & idola populus exarserat, vt non quieturos se profiterentur, donec non tantum, quæ in templis supererant, sed & quæ in ædibus suis aliqui occultatas habebant, statuæ omnes in forum publicum allatæ & frustulatim comminutæ finem furori facerent. Sed non caruit suo præmio hæcce temeritas ac seditio. Confœderati enim nobiles, alijque Ecclesiarum Patroni odioso Iconomachorum nomine appellari nolentes, factum illud deiectarum hoc modo statuarum non modo grauiter improbabant, sed collecto etiam ad has operas tumultuario milite complurimos vbique cæperunt, inq; crucem varijs in locis egerunt.

Iconoclastarum rabies describitur à Lutherano.

Iconoclastæ puniuntur.

Id quod Princeps Auraicus Antuerpiæ etiam præstitit, primarios ex seditiosis comprehensos die 18. Octobr. in foro publico, vt alijs terrori essent, in crucem agens. Quod si idem in Palatinatu, Anhaltinatu, Hassia & locis alijs fuisset factum, minus certè periculi & turbarum suo cum magno malo tumultuantes sacramentarij coacti fuissent experiri. Anno certè Millesimo sexcentesimo quinto, cum in Reformatione Marpurgensi articulo ex tribus pro mutatione doctrinæ & ceremoniarum propositis, secundo, statuas imagines que ex templis eijciendas esse statueretur, & die sexta Augusti pro Concione idem inculcaretur: secutæ sunt ex vnico hocce principio violento eiusmodi turbæ ac tumultus, vt Theologi Caluiniani ad mortem ferè ab insaniente plebe pugnis & verberibus fuerint mulctati, inquit Artus Tom. 10. contin. Sleid. lib. 4. pagin. 50. Eiusmodi catastrophæ scilicet rationes reformandi à verbo Dei alienas sequi necesse est.

VVilhelmus Auraicus Iconoclastas occidit.

Iconoclasmus Marpurgi dedit tumultum.

Da man alles schnell Purdi / Purdi anfenget / mit Fäusten hinein treibet / vnd so vnvorsichtig hinein plumpet / vnd noch den Ruhm davon haben will / als sey man besser / dann ein ander / vti Lutherus de reformatione simili Carol stadiana scripsit anno vigesimo secundo, sapienti addita ἐπικρίσει. Da hastu weit gefehlet / du wilt Gott damit dienen / vnd weist nicht / daß du eben deß Teuffels Vorlauffer bist / der hat dich auff das Kleine Narren Werck geführet / das Sacrament anzugreiffen / vnnd sihet mich gleich an / als hetten die jenigen / so dieses Spiel angefangen haben / jhren Ruhm gesuchet / so hat auch jhnen der Teuffel jhren Lohn gegeben. Hæc Lutherus: Adde carceres, quibus sæuiunt in errori suo contradicentes, vti Anno 91. Crellius fecit, qui Doctori Martino Miro concionatori aulico Saxonico carcerem in arce Hohensteinia parauerat: sed iusto Dei iudicio ipse, post mortem Christiani I. accusatus, quod Duci Christiano religionis in Saxonia mutandæ & introducenti Caluinismi auctor fuisset, quo[illegible]q; omnes in hoc suo proposito cõtradicentes è medio tollere decreuisset, &c. Cutrum ascendere iussus & spectante maxima hominum multitudine in hunc est compactus. Quę omnia & plura alia tanta sunt, tamq; insidiosa & atrocia vt præcaueri, vitamq; fortunasq; saluas, doctrinam vero ipsam illibatam ab ijs conseruari planè sit ὑπερ ἀνθρώπους: Dei verò gratia est, quod non planè consumpti sumus, hic enim, licet aliquando oculis quasi clausis connixerit, & fræna libidini sacramentariæ laxauerit: paternè at tandem causæ suæ patrocinium suscepit, solus hostes fudit, confudit & liberationem populo suo & Ecclesiæ exoptatissimam præstitit: vt rueret Ilium ingens, perierit Troia magna momento vno & fabula sacramentariorum in fabulam exiret, & desineret in lætam καταστροφὴν, quam ipsi exitu τραγικωτάτῳ, claudere in animum induxerant suum.

Conatus sacramentariorum.

Denique cur nobis obijcit Lutheranus Caluinianorum supplicia, quasi innocentum, cum sciat eos in Gallia & Belgio immania ausos, qualia describunt historici, cum illis de sua innnocentia iactantibus credere non possint?

Nam primo, fol. 55. *Ex horum mendaciorum (quorum seges fertilis admodum apud gentem Sacramentariam inuenienda, vt non immerito B. Lutherus non mendaces amplius Zvvinglianos, sed mendacium ipsum vocandos arbitratus sit) censu primarium fere est illud, quo B. Lutherum certaminis sacramentarij authorem*

Calũniator, vt Pontifici maledicat, ipsi mẽdacio credit.

rem primum proclamare, integro ferè hoc sæculo non sunt veriti.

Si sunt ipsum, ipsum inquam mendacium, cur credis ipsi mendacio contra Reges Franciæ, Hispaniæ, aliosq; Principes innocentiam suã asserenti? prius acta iudiciorum, & archiua examina, nec ita oderis Pontificem vt mendacio ipsi, non modo mendacibus credere malis, quàm eum, & Reges Christianissimos, Catholicosq; non infamare.

Sed domi tuæ te conuenio, inter tua præsidia pugnabis. Aiunt Caluiniani se à Pontifice martyrio affectos, hoc est, innocentes pro vera fide occisos. Hoc si credis, etiam testimonium contra tuos admitte. cur enim sint fide digni contra nos Martyres, & si verba contra tuos faciant, sunt intestabiles? Scultetum Caluinianum pag. 59. iubes resorbere calumniam cum reliquis quam efflauit: Deinde pergis: *De quibus (calumniis) si particulatim disserere esset animus, dies citius me, quam oratio deficeret. Calũniarum compendium ostendemus. Ecclesiarum nostrarum doctores appellarunt homines stolidissimos, fanaticos, Philautos, Theologastros, Matalogos, Sophistas nequissimos, Sycophantas, Theosophistas, Corporalistas, morosos, ambitiosos, proscriptores Pontificios, Homines principum animos, suis calumniis in ignorantia detinentes, genitores Pandoræ, percitos furore, oblitos omnis modestiæ & pudoris, superbos, feroces flagitiosissimos Dominatores fidei, Nestorianos, Eutychianos, Patronos Mahumetismi, contumaces, inuectores paradoxorum & scandalorum, inhumanos, odio & ambitione fascinatos, pendentibus in cruce felle mixtum acetum porrigentes, patres vbiquitatis, nouos dogmatistas, Dipnosophistas, Logodædalos, homines præter omnem modum contentiosos, & pertinaces, recentes Capernaitas, malignos veteratores, flagitiose, impiè leues, Vbiquistas, coniuratos veritatis hostes, imprudentissimos cauillatores, Acephalorum & Eutychianæ hæresis renouatores, Phantasmaticos veræ incarnationis Christi irrisores, conspiratam Schismaticorum factionem, Artolatrias instauratores, deliros Sacramentarios, insinceræ doctrinæ assertores de cœna Domini, instar piratarum per Ecclesiam nauigantium super ambitione & opinionibus, veritatem cum pace deprædantes, homines odio & inuidia excæcatos, Sophistas nequissimos, nouos fidei magistros, præstigiatores, veritatis & pacis hostes, coniuratos in oppressionem veritatis, impudentissimos cauillatores, rerum flagitiose ignaros, manifestos hostes ac inficiatores omnipotentiæ* DEI, *pseudo-Lutheranos ac Flaccianam factionem,* Ἀνθρωποφάγους, κρεωφάγους, σαρκοφάγους, *carniuoros: Doctrinam vero nostrarum Ecclesiarum Symbolis A. C. ac Formula Concordiæ comprehensam, flagitiosissimum errorem, fœtum infelicem, Pandoram, Phantasma & spectrum, laruam scenicam, absurdissimam impietatem, putidissimam ac sophisticam vanitatem, hæresin mixtam ex Eutychiana & Nestoriana, imaginationes phantasticas, insanissimam sententiam, execrandam blasphe-*

Caluinianorum calumnijs narrandis nulla dies sufficit, teste Lutherano.

Caluiniani de Lutheranis.

Et in Boemia tamen conspirant.

Lutheranorum doctrina qualis Caluinianis?

Nunc in vnum iubilate.

blasphemiam, ludibriosum commentum sacrilegam impanationem, corporalis præsentiæ idolum & commentum doctrinam impostoribus, non Theologis dignam, nugatorium commentum, execrandam Theologiam, Nestorianismum, Antichristianum cultum, idololatricum dogma, & quæ sexcenta huiusmodi Epitheta alia, fraterni erga nos affectus horum hominum indicia. Quæ omnia si, vti par est, susq; deq; feramus: en tibi paratas insidias vitæ & Doctoribus Orthodoxis! videas inquit D. Mylius in Synopsi Comœdiæ Misnicæ, à morte Augusti Electoris constitutos coryceos, qui dicta factaq; sinceriorum Theologorum obseruent, conductos, qui lites iniustas intentent, & cum causis non possint, modo saltem agendi animas expugnent: preces & supplicationes, periculosas admonitiones, seditiosas excusationes atque accusationes omnes capitales haberi atque nominari cœptas, Compita viarum publicarum vtrinque haud procul ab vrbe aliquot mensium spatio obsita, tabellariorum omnium, qui vel ad vrbem commearent, vel inde etiam remearent, sarcinulas apertas isti homines scrutati sunt, conquisitis omnibus quæ vel à VVittebergensibus Theologis ad alios vel ab alijs ad ipsos conscripta erant literis, vt ex resignatis istis depromerent, vnde capitibus ipsorum pericula creare possent. Imò atrocius istud: Conscripta sunt ad Theologos literæ fictitiæ, quibus magna significabatur συμπάθεια erga miseram religionis faciem, solatium ad secuturum auxilium communicabatur, subsidia exulaturis promittebantur, insuper missis vna cum istis fictitijs literis splendidis muneribus, vt, si quid penitissimè reconditum in pectore haberent, quo prodito periculum ipsis creari posset, hoc artificio emungerent. Qua in re industrius fuit Ioannes ille Maior Poeta VVitebergensis, qui isthac arte optimum virum & Theologum insignem D. Ioannem Matthæum, & conditione Academica & vita hac mortali exuit atque spoliauit. Inseruierunt huic schemati Mutata A.C. cothurnus vtrique pedi aptus, perfidia ac similes impostura, quibus Peucerus olim eiusque socij summum suum Magistratum circumuenerunt, illuserunt & deceperunt. Conuenerunt scripta ambigua & libelli famosi, iure quasi suo quodam ab huiusmodi hominibus recepti, imò defensi publicè nuperrimè, quibus absque fronte, & fonte fama bonorum suggillatur atque traducitur, vt condemnationi iniustæ & doctorũ & doctrinæ gradus sterneretur propior: Inseruierunt edicta & decreta de non nominandis vel condemnandis Sacramentariis, eorundemq; blasphemiis in concionibus ad populum, adiunctis relegationum seu exiliorum aliarumq; pœnarum horribiliorum minis, ipso demum facto non quiescentibus flabellis illis sanguinariis complendis. Imò completis per tot exilia & pœnas similes, quibus ipso Antichristo clementiores vix extiterunt. Nota sunt Aulici istius verba tempore Christiani I. Ducis Saxoniæ: Si βλακικοὶ isti molesti tibi esse perrexerint, eijce illos, idq; saltem ex hoc capite, quia Vbiquitatem canonizare conentur; & eiusdem alterum Apothegma: Nunquam rectè successura sunt res, nisi veterani.

Praxis Caluinianorum in Lutheranos.

Δῶξα ἄδωξα.

Martyres Euangelij non fuerunt clementiores in Lutheranos quam Catholici.

rani, & quibus priorum temporum memoria constet, è medio prius tollantur, Ne dicam de Personalibus Contentionibus, Prouocationibus ad Synodum.

His talibus quomodo potest inferri iniusta nex, aut tu qui tales eos iudicas, quomodo seueritatem Christianorum principum in inuidiam vocas, quod iusta vltione vigorem legum in eos exercuerint; si eos verè martyres arbitrare, illa tuorum facinora agnosce. Eos vix clementiores in tuos ipso Antichristo prædicas, & martyrum elogio donas, & post Vbiquitatem Canonizas. Hæc faceres si quicquam prudentiæ reliquum tibi odia, atque inuidia reliquisset? Tu illorum acta lege; Vnus alterue annus plures Catholicos in sola Francia, Belgioque Caluinisticis furoribus mactatos vidit, quam totos sexcentos annos in vniuersum reos Pontificia tribunalia sustulerint. *Calũniator mente deiectus est.*

Quod si verè tempora consideremus sanctos Caluinianorum inueniemus Berẽgarianos, Wicleffitas, Hussitas, imo Copronymos, Leones Isauricos, Henricos, aliosque quos odio Pontificis canonizant. Itaque hinc ex scriptura contra Lutheranos sic argumentor.

Cornu paruulum seu Antichristus sanctos altissimi conteret, tantamque persecutionem concitabit, quanta non fuit à tempore, quo homines esse cœperunt; at Pontifex in Lutheranos tantam persecutionem non instituit, multo enim plures morte, exilijs, carceribus Catholicos afflixerunt, quam à nobis illa passi sint. Quot enim Lutherani propter fidem perierunt? quis Vbiquitarius sanguinem dedit? Nam de pure Lutheranis vnius gentis queri duntaxat possunt; cæteris vero miscuisse se alios nebulones fatentur. Nos verò de toto Lutherismo negamus. Nõne enim tota Germania ferè dominati sunt, & tantas fecêre strages, vt adhuc squaleant Tristia semirutis altaria templis?

Habetis, Viri Amplissimi Consultissimi; vniuersam rei seriem: Penes vos esto arbitrium istius controuersiæ: an non debuerit palmatus ille pędagogus Halensis isto Alexipharmaco, quod tam liberali & docta manu illi propinauit Catholicus ille Theologus, ad sanitatem mentis se recomponere? vt olim

Setosa duris exuere pellibus
Laboriosi remiges Vlyssëi,
Volente Circe, membra. *Horat epod.*

Quod furiosi solent, nempe Medico etiam optimè merito violentas manus intentare, idem conatur bipes ille palmatus: cuius hæc verba sunt pag. 5.

Ita autem insurgit Contzius c.20 Coronidis, quam Vocat, omnium Iubilorum.

Præ omnibus obiicis Sigismundus Euenius in palma seculari Lutherano-Euangelica Pontificem sanctos altissimi conterere. Ille igitur cornu illud Danielis, ille Antichristus. Hæc ibi Contzius pag.187.

Respondeo.

Lupi Romani mansuetudo.

1. *Sic est, obiicio illud, nec iure immerito, edoctus quippè catalogo testium veritatis Romanum illum animorum & corporum latronem, potentia & gladio imperatorio abusum in eos, qui impiæ ipsius dominationi & horrendis doctrinæ corruptelis contradixerunt, crudelissimè fuisse grassatum: edoctus nostri seculi fide Historica, vix inmanius eundem illum fremuisse, quam ab incunabulis renascentis fidei Euangelicæ, vt vel hinc demonstraret, non officio consulendi, sed dominandi cupiditate, nec prouidendi misericordia, sed principandi superbia se præesse & religionem cogere potius vi & iniuria, quàm suadere, verberibus potius quàm verbis rem agentem, vt sit voluntas & acies potiùs distringentem gladij, quàm ingenij; quamuis sicut tacenti nihil creditum, ita ne sæuienti quidem hactenus cessum fuerit, vti Augustinus lib.19. de civ. Dei cap.14. & Lactantius lib.5. cap.20. huiusmodi Pseudosacerdotes delinearunt.* Hæc asinus palmatus.

Agnoscitis Magdeburgenses, Halenses, verba illa non dicam, sed sordes cloacina (honore auribus habito,) pædagogi illius pœdidissimi? nihilne subolent vobis illæ Patroclianæ, quibus minimè tutò piper aut cicer incucullentur? I puer, & istis granis iuniperi, magno numero accẽsis, aerem purga; ne quid anima illa Halensis hîc nobis pestilentiæ exhalet. quis elutriare sibi sumat istā labādria? Sed ἄνευ τῶν παθῶν καὶ προοιμίου.

Sine perturbationibus & proloquio

Debebat asinus palmatus probare, quòd Romanus Pontifex contriuerit, aut etiamnum conterat Sanctos altissimi. loco probationis illius, noua decumana, vel Cumana & Arcadica ponit mendacia. Primum est, quòd edoctus sit catalogo testium veritatis. mentitur illo catalogo suo testes haberi veritatis. Alterum est mendacium, quòd Pontifex Rom. sit animarum latro. tertium est, quòd idem Pontifex sit corporum latro. quartum est; quòd Pontifex potentia & gladio Imperatorio abutatur. quintum est; quòd Pontifex gladio illo grassatus sit in eos qui inpiæ illius dominationi contradixerunt. Sextum est; quòd Pontifex in illos grassatus sit, qui doctrinę corruptelis contradixerunt. Septimũ est; quòd Pontifex in eos grassatus sit, qui horrendis doctrinæ corruptelis contradixerunt. Octauum est; quòd Pontifex crudelissimè in illos grassatus sit.

Quatuor lineis, bis quatuor mendacia Halensia.

Sine præiudicatione.

Rem ipsam ventilate, Viri Senatores Amplis. χωρὶς προκαταγνώσεως. nec affectibus cedat iudicium; nec opinioni ante conceptę pareat ratio.

Magnum

Magnum illud quod flagito: sed necessarium. In Areopagitarū adoptatiolim collegium, solent, si quid vitij esset, abjicere. hoc ante de affectu faciundum, quàm iudicari debet de controuersia: quod ipsi, pro vestra prudentia copiosè scitis, ex ciuilium legum, municipaliumq; consuetudinum peritia. Vnde ijdem Areopagitæ noctu in tenebris cognoscebāt, ne ex Actoris vel Rei intuitu excitaretur affectus aliquis, contra justitiæ rectitudinem: quod imitandum nobis est; nec iudicandum aliquid, nisi à perturbationibus simus liberi. Solent præstigiatores, circulatores, & id genus agyrtæ alij, impostoris quibusdam latentibus, & agilitate sensum oculorum fallere & in errores dare: Simile fecerunt illi, qui Roman. Ecclesiam oppugnarunt, maximè à duobus iam sæculis, in Bohemia, Germania, Gallia. Irrepserunt in hominum imperitiorum animos falsis nōnullis principiis: Ecclesiam posse à regula veritatis deerrare: Nihil esse credendum, nisi quod expressum sit litteris sacris: vel quod non possit ex illis trahi sequela necessaria: Priuati esse hominis sacras scripturas diiudicare, &c. Sed virorum est, in illa principia altius inquirere, & præsentarium Bonæ mentis inpedimentum & perniciem, opiniones præconceptas exstirpare. Sed in hunc campum hîc non excurro. Hoc saltem hic volo; quod ipsi videtis, putidissimum illum pædagogum vestrum non probare quod probandum: sed pro vno mendacio, quod purgare debuit, tot noua euomuisse, quot iam enumerauimus. dicit se edoctum Catalogo testium veritatis. sus volutabrum somniat; canis ostam: asinus, quamuis palmatus, paleas. Quem producit ille stipes catalogum? quis corrasit? Illi, qui maximè Catholicis nobis sunt inter stabiles. quis in illo catalogo? an testes veritatis? Negamus Catholici. Affirmant Prædicantes Lutherani. Viris credendum? Scitis, Viri Amplis. quòd affirmantibus vestris Prædicantibus incūbat probatio, quod noti iuris est. Producāt ergo nominatim illos testes. An Berengariū, Wicleffum, Cnoxum, Hussum, Zvvinglium non habent in illo catalogo? Si habent: vel testes illos veritatis habent, vel mēdacij. Si veritatis; cur nō credunt illis testibus, & cur malunt audire Lutherani, quā Berēgariani, V Vicleffistæ, Cnoxistæ, Hussitæ, Zvvingliani? Sin aliter est: & testes illi quos nominauit, sunt Prædicantibus vestris testes mēdacij; qua lege, qua ratione legis anima, qua fide, qua fronte citant aduersus Catholicos istum catalogū? Sin alium habent Catalogum, in quo germanos geminos habent Lutheranos: in quo meriissimæ sunt, quouis salillo puriorum Lutheranorum nomenclaturæ? quæro ex vobis Iureconsultis, quo iure Prædicantes illi Vestri hoc extorsuri sint, vt, nos Catholici, illos Lutheranos

Falsa principia nouatorum hæreticorum.

Affirmantibus Lutheranorum est probare.

cogamur agnoscere pro genuinis testibus diuinæ veritatis? nos testes illos omni iure diuino, humano, gentili, municipali suspectos dicimus: multis exceptionibus, quas hic singulatim recēsere nimis sit prolixum, repudiamus, confundimus, eneruamus, elidimus. Nimis equidē stultos, stolidos, bardos, blennos, buccones esse oportet Vestros Prædicantes, si putant eos nobis testes debere videri idoneos, quos ipsi habent pro idoneis. Quid si ex illis quærā, velintné illos habére testes idoneos, quos producturi sumus illis Catholici? Iubebūt me in malam rem facessere. Et quidni, inquam, vicissim Catholici Lutheranos, quoties cum intestabili illa testium fideifragorum colluuie prodeunt, valere iubeant, aut abire in Vespasiani Morboniam? Agnoscitis, Vestros Prædicantes, vbi Pontif. Rom. aiunt Antichristum, & sanctos altissimi cōterere, Actores esse: Catholicos Reos. Quis iudex? an ijdem erunt Iudices, qui Actores? Non fert cælum, non fert terra istiusmodi Iudicium. Diuina oracula litem diriment? Probarunt Catholici, probant, probabunt Roman. Pontif. non posse dici Antichristum: sed ex ipsis oraculis diuinis euincunt Roman. Pontif. esse omnium controuersiarum è diuinis oraculis natarum Iudicem. Sed ad asinum palmatum redeo.

Lutherani, qui aiunt Pont. R esse Antichristū, calumniatores.

— ἀγριωπὸν, αὐθαδόστομον
ἔχοντα ἀχάλινον, ἀκρατὲς ἀπύλωτον
Στόμα περιλάλητον, κομποφακελορήμονα.

Agresti ferocia, contumaci ore, habentem effrænatum intēperans, sine foribus, os futile, duris verbis vtens

& quantumcunque rancidè sint insipientia, & inertia stolidè, & dictu profatuq; tetra, reponamus tamen illius verba. *Romanus ille*, inquit, *animarum & corporum latro, potentia & gladio imperatorio abusus in eos, qui inpia ipsius dominationi & horrendis doctrinæ corruptelis cōtradixerunt, crudelissimè fuit grassatus.* Ergo conterit sanctos Altissimi. ô beluam Halensem, cui par non fuit, non erit. Romanus Pontif. in Turcas grassatur: Ergo conterit Sanctos Altissimi? ponendi erant tibi Sancti Altissimi, & in illos ostendenda tibi fuit Tyrannis Pontificia. At tu ita edoctus es à tuo catalogo?

Tu vadis asinus in paleas tragematum.

ὄνος βαδίζεις εἰς ἄχυρα τραγημάτων.

rudere & calcitrare tibi est à natura insitum. & quid te aliud quis edocere potuerit? genuinum Νιόβης ἀρχέτυπον. qui te docet, (a) τὸν ὄνον κείρει. Plutarchus in commentario, in quo Stoicorū dogmata cum Poetarum dictis componit, Scarabæos ait vnguētum fugere, τὰ δὲ δυσώδη διώκειν. nec aliud egit R. P. Adam. Contzen scriptis suis doctissimis, quàm quod frustra te Halensem

Niobes exēplar primigenium.

(a) *Asinum tondet.*

Graueolētia sectari.

Horat.

— *asellum*
In campum docuit parentem currere freno.

ac citius

ac citius potuit feliciter χερσὶν δρυον μετα φυτεύειν, quam in talem ſtipitem vnum axioma theologicum inſerere. Manifeſtũ eſt, viri Ampliſſimi, quis habendus ſit vobis ille palmatus, vbi ſic probat conteri Sanctos altiſſimi à Pontifice, vti dictum eſt. Cur enim Prædicantes veſtri non malunt dicere Tiberium, Caligulam, Traianum contriuiſſe Sanctos Altiſſimi, quàm Pontificem Romanum conterere ſanctos altiſſimi, quia potentia & gladio Imperatorio abuſus in eos, qui inpiæ ipſius dominationi & horrendis doctrinæ corruptelis contradixerunt, crudeliſſimè fuerit graſſatus? An non conſtat quod gentiles illi Imperatores contriuerint Sanctos Altiſſimi? non poſſunt negare Prædicantes veſtri Lutherani: non poſſunt diſſimulare Caluiniani: demonſtrant Catholici, teſtibus omni exceptione maioribus, innumerabilia piorum Chriſtianorum martyria fuiſſe Imperantibus illis Romanorum Imperatoribus, quos diximus, vt & alijs, quos recenſere non eſt huius inſtituti: At illi Sancti contriti, fuerunt Catholici, non Lutherani. *Edoctus, inquit, noſtri ſeculi fide Hiſtorica &c.* totidem hîc recenſere poſſim mendacia, quot feci modò ante, ſi libet: quibus apponit Auguſtinum & Lactantium. Quid Halenſi palmato, cum Auguſtino & Lactantio? quid ſui cum amaracino? *Vetulam arborem tranſplantare.*

——amaracinum fugitat ſus, & timet omne
Vnguentum: nam ſetigeris ſubus ac re venenum eſt. *Lucret. in 6.*

Age, lector quiſquis es, excute ſodes illas inpuritias verborum, quæ poſui ex Halenſi illa ſentina: quo affrictu ſorditudinem diſtringuas? non ſi vno die laues ſepties, vt olim Rhemnius Grammaticus, vel octies, vt Gordianus. An Adamus Contzen manibus illis ſuis puriſſimis, quibus Deum quotidie nobis reddit clementiorem, recrementa illa Halenſia tractare debuit? Dicunt nundinales illi coqui, & ex ſordibus exuerrijſque coquini illius contubernij, è præfectura focariæ prouinciæ, ex ordine quodam buſtuario Halenſis ille pædagogus pag. 1. *reductam ante ſeculum ex domo Obed-Edem ἀνθρωποδώλων Romanenſium arcam fœderis, cum benedictione, ad tabernaculum Domini, poſt tot ſeculorum latibula.* & *pag.* 5. ait Edoctum ſe fide ſeculi ſui hiſtorica, vix inmanius Pontificem eundem vnquam fremuiſſe, quàm *ab incunabulis renaſcentis fidei Euangelicæ.* Homines ſtultiores Praxillæ Adonide, ſurdiores turdis, imo portu Toronæo, ipſis ſibimet malum cacant. Hoc ipſo enim, quòd primos ſeculares illos nuper ludos ſuos celebrarunt Lutherani, nec alios ſeculares ediderint, euincimus Catholici Lutheranorum mandram non eſſe genuinam Eccleſiam. Quod genus illud amentiæ dixerimus; aſſerere Lutheranorum *Homini ſeruorum.*

Ecclesiam. Quod genus illud amentiæ dixerimus; asserere Lutheranorum Ecclesiam esse legitimam, & in illa, præter vnum illud nuper editum, & etiamnum à partu rubens Iubilæum, celebratum fuisse nullum aliud anterioribus seculis? Vbi superiora quindecim volumina seculorum, à Christi incunabulis? latuit in domo Obed-Edom ἀνθρωποδόκλιν Romanensium, tot secula? quæ hæc fuerunt latibula? Vbi fides, quam Christus ipse dedit Ecclesiæ? Ego ero vobiscum vsque ad finem mundi? vbi fides diuini oraculi; Portæ inferorum non præualebunt aduersus Ecclesiam? Cedite Lutherani illa, quæ dicitis latibula? Vestrum, vt affirmauium fuisse Ecclesiam nec prorsus interijsse, est edere locum vbi sint, vbi fuerint illæ cryptæ? & quibus foueis delituerit Sponsa Christi? Dicitis, ni fallor æquè Lutherani atque Caluiniani, notas Ecclesiæ ἀστιωδεῖς esse genuinam sacrorum oraculorum proclamationem, & vsum Sacramentorum, quibus in speluncis? accessis, inaccessis? Hospitalibus, inhospitalibus? vbi conciones, quales sunt vestræ postillares, ac funebres habitæ? vbi vsus vestrorum Sacramentorum? An in Calecutio, vel Democritis puteo? Dicitis in infantibus fuisse? quæ hæc est infantilitas? Infantes nonnunquam locutos accepimus; imò & boves & asinam Balaami. sed ab infantibus habitus fuisse conciones Lutherano-Euangelicas, quæ produnt historiæ? quæ litteræ tradunt ab infantibus obita fuisse illa officia, quæ circa vsum requiruntur Sacramentorum? quibus nec manuum vsus est nec linguæ? qui cum in hanc lucem enixi sunt, non aliter, quàm eiulatu se natos indicant? non aliter, quàm sæto eiulatu, obstetricis, matris, nutricis officia possunt implorare? educitis ex catalogo vestro hominem infelicem, quem martyrem vocatis? Ille est hæreticus, legitimo Ecclesiæ iudicio damnatus, & horrendo carmine Nocti æternæ & Acherunti deuotus. Non vnius diri capitis nomen constituit Ecclesiam. cætum aliquem designat Ecclesiæ nomenclatura. cedite ergo, vel minimum qualemcunque cætum, ex tot numero saltem, quot Iureconsulti faciunt collegium, & locum designate, non dico Regnum, (quanquam non vnum edere teneremini, quia dicimus Ecclesiam Catholicam:) non Prouinciam, non Ciuitatem, non pagum, non Vicum: sed domum, tugurium; cellam, foueam, vrbanam, agrestem, montanam, in qua fuerit Lutherana Ecclesia, à Christi & Apostolorum ætate, ad vsque illa, quæ dicitis, incunabula renatæ fidei vestræ Euangelicæ, Luthero obstetricante, & dignâ tali operculo patellâ,

Essentiales Ecclesiæ notæ Lutheranis Caluinianis, verbi prædicatio, & vsus sacramentorum.

Pœnes infantes non sunt notæ Ecclesiæ.

Catha-

Catharinâ sua obstetrice. vocem agite, edite; sed dignam Euangelio. etiam muti, & elingues hactenus habiti, cum illo iubilo vocem edite. nec iniquus sim, etsi mutos videar ad vocem compellere. Crœsi Regis filius mutus & elinguis adoleuit, nihil fari quiuit. Cum verò in patrem suum, pugna & bello victum, capta simul vrbe, in qua erat, hostis gladio, Regem ignorans, inuaderet filius extremo nixu impetuque spiritus, nodum linguæ abrupit, & in hostem clamauit ὦ ἄνθρωπε μὴ κτεῖνε κροῖσον. Qua voce hostis gladium reduxit, & Filius Patrem, miles Regem seruauit. Vos si filij estis genuini Matris illius, (non dico Helenæ quæ ex ouo illo exclusa est, quod ex amplexibus Iouis sui Iesebij, non cycni, sed excucullionis bene pasti specie compressa Leda, id est quovis crystallo sacerdotula illa purior Catharinula enixa est:) Ecclesiæ, quæ ab incunabulis, vt loquimini, renascentis fidei Euangelicæ excreta est, quandoquidem haut vno vobis nomine, Matris Ecclesiæ nomen, quauis Patris nomenclatura debet esse carius, illud os & rictus illos, quibus Romanum P. P. & omnes Catholicos petitis, diducite, vitium linguæ abrumpite: sed planè, sed articulatè eloquimini, vbi illa delituerit Ecclesia? vocem qualemcunque agrestem exscreate:

Solinus Athim nominat.

O homo ne interfice Crœsum.

Tityre coge pecus. tu post carecta latebas.

Vel si, à Iesuitis, superinfusa nescio qua frigidiuscula, nonnihil refrixit affectus ille & feruor caritatis primordialis erga Matrem iam vetulam, rugosam, & nescio quam Faunam Fatuam, (cuius pudicitiam non tantùm, iam diu ambiguam reddidit, sed Pandoram planè adulteratissimam, nescio quibus tabulis Romanis probauit odiosissimâ illa Loiolitarum natio, quibusuis Stentoribus clamosior;

Tot vigiles oculi subter (mirabile dictu:
Tot linguæ, totidem ora sonant; tot subrigit artus:)

quod Samius Athleta, cui αἴγλης nomen apud Agellium, potuit hoc saltem possitis. Ille, cùm, in sacro certamine, illā, quæ cum aduersarijs erat instituta sortitio, fide non bona fieri, sortemque falsam nominis subijci animaduertisset, repente in illum, ante id nunquam voce vsus, qui id faciebat, magnum inclamauit, sese videre quid faceret: nec adhæsè post id locutus est. Hoc, inquam saltem

Lib. 5 c 9. Ægles athleta mutus exclamauit sibi fieri iniuriam.

saltem facite, & iniuriam vobis fieri, à Papistarum factione inportuna exclamate: quòd non satis esse dictitet, vos dicere ac profiteri, vestram fuisse, in terris, Ecclesiam, ab ætate Apostolorum, in annum 1517. sed ipsa etiã spelæa ac foueas scire velit, vbi delituerit, tot sæcula: vel, cũ nullum animal, quòd sensu gustus tactusue careat, nasci cõtingat, vt ait Aristotelis libro quem περὶ μνήμης cõposuit τὴν δὲ ἁφὴν καὶ τὴν γεῦσιν πάντα ἔχει, πλὴν ἐπὶ τῶν ἀτελῆ ζώων, & dentur vulgò, in quîs defectio visus auditusque, vt etiam adoratus est, absque vllo scrupulo dicite, inorum inauritumque genus hominum in cryptis quibusdam mysticis, quales apparent in atomis Democriti, & campis Gurgustidonijs, delituisse; quod nempe se collegerit ex clade, quam Bombomachides Cluninstaridysarchides, Noctis & Acheruntis, ex Megæra nepos, accepit in pugnà illâ pentethronicâ, quam feliciter, ipso Kalendarum Atticarum diluculo, intra amnem Erinnyarolam & insulam Chymærutopiam pugnauit aduersus Cerberorhadamantæacostygicocytipyriphlegethontitartaricharontem Romanum.

De memoria; tactum verò & gustum omnia habẽt, præter animalium inperfecta. Animalium nullum gustu tactuue carent.

Sed à curis istisce oppido tetricioribus, ad amæniorem Alphesibæi Halensis fistulam redeamus, quam inflat hoc carmine pag. 6. 2. *Præ omnibus*, inquit, *an obijciam ego, credo scriptis vnius Doctoris Hoe patescere, qui in concionibus & præparatorijs, & Iubilæis frequenter rabiem illam, ferociam ac crudelitatem exercitam à Pontifice Romano taxat; ne de reliquis dicam. Adeat Contzius, si dubitat, conciones D. Lauterbachij: D. Frantzij: D. Haffenrefferi, Decalogi Romani præceptum quintum, apud D. Casparum Finckium: M. Davidis Meieri sectionem decimam Iubilæi Euangelici; orationem Berneggeri Historiarum Professo-Argentinensis: & solitaria huius obiectionis crimine me absoluet.* Hæc ὄνος ἀντρώνιος. Æquanimitatem & patientiam vestram, Amplissimi Consultissimi Domini; vt opponam isti palmato vestro, paucas lineas, ex cap. 16. quod habet, in Coronide omnium Iubilorum anni 1617. clarissimus Theologus Adamus Contzenus: his verbis.

Duello potius videtur delectatus Contzius.

Asinus Antronius.

An merito discessionem à Vetere Ecclesia fecerint Sectarij propter Pontificem Romanum?

Generatim hoc propono, quia maxima pars concionum conuicijs contra Pontificem insumitur, adeò vt si maledicta illa demantur, ex multis tomis futurus sit libellus vnus. Concionum plurimarum argumentum est, ex Danielis cap. 11. 31. & sequent. Apocal. 12. & 13. & 14. & 17. vt omnia quæcunque in Antiochum & Antichristum scriptura vnquam dixit,

Iubilantes omnes in Pontificem insurgunt.

dixit, Pontifici inputent. Ita Matthias Hoe conc. iubilęana 3. Balduinus Fredericus, Wolfgangus Franzius, Ehrartus Lauterbach, Michael Mulingius, Vincentius Schmuck, Paulus Laurentius, duabus concionibus, Ioannes Pandocheus: sunt & aliorum theses & declamationes. In hisce tria notaui omnes facere. Primo; quæcunque vnquam ab aliquo Pontifice malè gesta sunt, toti ordini imputant, & exaggerant: vt si quis Achabi vel Manassis scelera cunctis Regibus attribuat, ideoque sceptrorum vim tollat, quia suis affectib. multi Reges sæpius, quàm legibus obsecuti sunt. Secundò, quæcunque contra Pontifices vnquam ab eorum inimicis ficta sunt, tanquam oracula cum auctario proponunt: quæ autem pro Pontifice dicuntur feruentius, illa in calumniam rapiunt: vt cum dicitur, Pontifici in terra datam potestatem soluendi peccata, sicut Deus in cœlo soluit, & iudicium Pontificis etiam Dei esse; mox clamant, Pontificem æquari Deo, Deum de throno deijci, & Pontificem extolli, Pontificem Deum à nobis statui, cum tamen particula ὡς aut sicut, similitudinis non minus, quã æqualitatis sit nota: cum aliud non doceamus, quàm ea, quæ Pontifex soluit aut ligat in terra, legitimæ potestatis vsu, ea in cœlo solui vel ligari, & Christum habere serui sui & vicarij ratam sententiam. Tertiò, doctrinam Pontificis oppugnant: in quo certamine, tria stratagemata notaui. Primum est imputare Pontifici & Catholicis ea dogmata, per calumniam, quæ expressissimè damnamus & anathematizamus. Alterum, quæ antiquissima Ecclesia docuit, verbi gratia, de purgatorio, ea velut noua Pontificis, Monachorum & Iesuitarum inuenta traducunt. v. g. Purgatorium figmentum Monachorum aiunt. at Zanchius lib. 4. cap. 4. quæst. 5. de natura Dei: atque alij, qui aliquando veteres legerunt, fatentur iam Dionysij Areopagitæ tempore, & Tertulliani fuisse consuetudinem: citant Cyprianum, Augustinum, Ambrosium, Chrysostomum, & alios Patres. Itaque hæc, cum parum ad odium Pontifici concitandum valerent, artificiose omittunt, & simul stolidè & ruditer. Etsi enim suis imponant, & oratores videantur, conscientiam tamen Christiani orbis vereri debent. Tertium est, odiosa facere Catholica dogmata, & sua horridiora mollibus verbis polire. Hæc ille Theologus. quid de Asino vestro palmato sit, Viri Amplissimi, facilè dijudicatis, & in mentem venire, de illo Halensi, vobis potest ὄνῳ τις ἔλεγε μῦθον, ὁ δὲ τὰ ὦτα ἐκίνει. ὄνος λύρας ἤκουσε, καὶ σάλπιγγος ὗς. Quod si melior reddi potuisset, *Δὶς ἑπτὰ πληγαῖς πουλύπους πιλούμενος, ex illa Coronide hominem haberemus: qui intellexisset

1. vnius peccata omnibus imputant.

2. Figmenta contra Pontificem colligunt.

3. Doctrinã oppugnant.

Purgatoriũ qui novum inuentum aiũt, omnia vetera ignorant.

Asino quis fabulã narrauit: at ille aures mouebat.

Asinus lyrã audiuit: sus tubam.

** bis septem plagis Polypus coactus.*

set non vnum, præ omnibus Lutherilatris obiecisse Romano Pontifici illa decumana conuitia: quod si palmatum illud animal, præter paleas, etiam lolio victitat, cur non adhibuit oculos vitreos, qui pag. 62. ait se *perspicillorum opera, acutissimè intuentem videre*? quin etsi maximè luscitiosum sit germen illud Halense, tamen facilè oculos incurrere potuerunt illa nomina, tam crassa, vt manibus prope quis discernere possit, quæ idem Adamus Contzen describit eadem sua coronide *pag. 46. cap. 4.* quæ in eorum gratiam exscribo, qui coronidem illam non viderunt. Doctores & antistites discrepantium, inquit, sectarum, quorum præ ipuè nomina in catalogo nundinarum vernarum anni 1618. inueni, & scripta comparaui, (quanquam aliquorum haberi non potuerunt, vel quòd non prodijssent, vel quòd eorum typographos puderet) illi ferè nominantur.

Argentoratenses Academici.
Andreas Finnolot
Anonymus vnbekandt gegē Christian Gottliebs.
Argentoratenses Prædicantes.
Anonymus de Iubilæo
Andreas Cramerus
Abraham Scultetus
Adrianus Smoutius
Arminiani & Gomariani in Hollandia.
Balthasar Meisnern.
Caspar Holstenius
Caspar Melissander
Caspar Hackius
Christophorus Schleupnern.
Christophorus Zieglern.
Conrad Dietrich
Christophorus Adolphi
Christophorus Walpurger
Danici Prædicantes.
Daniel Angelocrator
David Gareus
Ehrhardus Lautterbach
Ægidius Strauch
Fridericus Helbachius
Friederich Franck
Fridericus Balduinus
Georgius Engelman
Georgius Zeaman
Gaudentius de Iubilantibus
Guilielmus Barret Anglus.
Heidelbergenses Academici.
Hartmannus Braun.
Henricus Altingus
Henricus Eckardus
Henricus Hopffner
Henricus Hirtzvvigius.
Iacobus Martini
Ioannes Gisenius
Ioannes Simonius
Ioannes Cirocius
Ioannes Tarnonius

Ioannes

Ioannes Affelmannus
Ioannes Staden
Ioannes Schröder
Ioannes Heinrich Hiemern
Ioannes Schneider
Ioannes Pandocheus.
Ioannes Salmuth
Ioannes Ioachim Beutherus
Ioannes Michael Beutherus
Ioannes Leibius
Ioannes Georgius Siegwart
Ioannes Roſſenſis contra Rob. Bellarminum.
Ioannes Schreitter *Annæberg.*
Ioannes Scarpius
Maximilianus Rittern
Martinus Rober.
Matthias Hoe von Hoheneck
Matthias Haffenreffern.
Melchior Shærerus
Michael Mulingus.
Mercatus Popiſticus Autoris M.M.D.
Nicolaus Hartkopfius
Nicolaus Martini
Nicolaus Pomeranus
Nicolaus Hunnius
Nicolaus Greuinckhouius.
Paulus Laurentij
Polycarpus Leyſer
Predig *diuerſorum* vom Jubelfäſt
Roſtochienſes Academici
Robertus Sariſburienſis
Sibrandus Lubberti
Sigiſmundus Fuenius
Simon Gediccus
Scholaſtici Neuhuſiani
Tubingenſes Academici
Thomas VVeinrichius
Thomæ Tuki Angli index fidei & relig.
Vincentz Schmucken
Wilhelmus Alardus.
VVittebergenſes Profeſſores & Doctores
VVirtenbergenſes Prædicantes
VVolffgangus Frantzius, Et
Alii quos fama obſcura recondit.

Heus puer! aquam largam manibus. phui! quanta vis ferinæ? qua procella in arenam irruit, è quib. caueis, Tullianis, latumijs? quo flante Auſtro omnium illorum phantaſię, tam fædum in modū infectæ? quo reſpirante Euro tā inſolentes tuſſiuerūt affannias? vah vnā illorū ὠνίων ἀγορᾶν, *Venalium forum.* Francofurtenſes illas nundinas, ad quas omnes illæ opinionum teterrimarum familiaricæ, omnia illa circumforanearum virulentiarū ſterquilinia fuerunt congeſta. hæc nidamēta ſic videmus egeſta, & neſcimus, aut medicos interrogamus, quæ ſit iſtis & aliis in locis, cauſa interdū peſt lētis: vbi colūbatia iſtiuſmodi conſiſtunt, exuberāt, intra feneſtras Stoicas?

nec aeris immissione exhalationes illæ tam fætidæ cispelluntur? neque in Xystis ac subdialibus ambulacris diuentilantur? Ni Rhenus præcipiti defluuio, in mare Batauum, animas illas asportasset, quantis hic opus fuisset diffusorijs? Cum singulis monstris narrant Poetæ certamen fuisse Herculi, at vnus Adamus Contzen luctari debuit simul cum vniuersis. & vnus hic noster Αλεξίκακος omnia illa portenta citius perdomuit, quàm multi fuissent aggressi eorum singula. Fecit, inquam, ille bono publico, & profecit. laborem in ijs refellendis omnibus exhausit, quos ne perlegerent, si quibus id pœnæ loco inponeretur, multi malint abire Morboniam. nec aliud hic postulamus actione iniuriarum, si compotem se mentis dicit vester pædagogus Halensis, quam super famoso libello corã vobis instituimus, Viri Senatores ac Iudices Amplissimi, nisi, vt vestris omnium concordibus suffragijs, ac definitiuâ sententiâ, iubeatur reus ille, enormissimarum ac publicarum iniuriarum conuictus, recantatis opprobriis, quæ dixit in Ecclesiam Catholicam Romanam, clitellas, è querno vel fagino, sibi dorsoque suo aptare, iisque chartarum struem illam promiscuam, quæ à fratribus suis Euangelicis γνησίως Lutheranis conspurcatæ fuerunt, vnicis illis nundinis, impositas ternis vicibus quotidie, per Scholam Halensem circumgestare, in proximas vsq; nundinas excurrentis huius anni 1620. ter edita hac voce, Boui Cyprio merenda, Αὐγείου βουστασία.

Mali auerruncus.

Pœna ex iniuriis irroganda Asino palmato.

Augiæ bouile.

Quid enim sibi vult illa bestia, cum ait? *Præ omnibus an obijciam ego credo scriptis vnius Doctoris Hoc patescert.* An non videt, ne inter illos quidem terræ filios, ac Prædicantes sesquiobolates suum nomen exprimi? inter illos est, quos fama obscura recondit. Quærit autem, quid sibi velint istæ voculæ, (Præ omnibus?) totidem explico verbis ὗς ἐκώμασεν: vel aliis totidem Λοκρικὸς βοῦς. aut quid mulus ille clitellatus sibi vult ista marginali nota? duello potius videtur delectatus Contzius?

Sus saltauit Locrensis bos

Martial. ὅμηρ. ἰλ. β'.

Dispeream, si tu Pyladi præstare matellam
Dignus es, aut porcos pascere Pirithoi.
Τῷ οὐκ ἂν βασιλῆας ἀνὰ στόμ' ἔχων ἀγορεύοις,
Καὶ σφιν ὀνείδεά τε προφέροις.
Asinus palmatus.

Quare ne reges in ore habens, concieneris

Et ipsis cõuitia ingerat. pag. 6.

3. *Obijcio autem, quod fateor, exempla tyrannidis secularis, bona fide exhi-*

ex historijs nostri temporis delecta ac comportata; quorum pleraque toti orbi ita decantata, vt mirum sit, tantæ impudentiæ & frontis perfrictæ repertum, qui Solis hocce jubar negare præsumpserit. qualis est Contzius, cuius oculos hacce veritatis facula recentissima ac flagrantissima vrsit, specialiter hac de re sollicitum fuisse video, quomodo reperto aliquo glaucomate veritatem historicam, si non eneruare, (quod vltra vires eius positum) dubiam saltem reddere, & mansuetudinem lupi Romani omnibus commendabilem facere posset, consilio non malo, ne domesticis exosus redditus Pontifex extraneis magis magisq; sordescere inciperet.

Sancta cogitata pessimè cecidere.

Diximus, quid in sua coronide omnium Iubilorum Anni 1617. c. 16. Adamus Contzen culpet in jubilatibus, & quas artes, quem dolum malum ijs exprobret, fratribus illis Lutherano-Euangelicis fraterrimis: aciure postulat, vt legitimè probent, quod fronte prorsus effronte clamitant, nempe quòd Pontifex Romanus conterat Sanctos Altissimi. Quid numero 1. reposuerit asinus ille vester palmatus Halensis, viri Senatores Amplissimi, vidistis: quid numero 3. hîc regerat & excernat, itidem videtis. nihil aliud rudit, quàm se objicere, se objicere exempla Tyrannidis secularis, bona fide, ex historijs, & cæt. quid trunco isti ficulno, cum historijs? quid inter fidem bonam ac malam ille discernat, qui

Inguinis & capitis quæ sint discrimina nescit?

Monstrorum genera Philosophi & Medici tria obseruarunt, ex naturalibus historijs. quædam à proseminatoribus differunt tota specie; sic apud Plinium legimus de muliere, quæ elephantem enixa est; & de ancilla, quæ inter belli Marsici initia serpentem peperit: & de Hippocentauro, qui natus sit in Thessalia. Quædam non aberrant à parentum specie, sed non ijsdem membris, vel eodem ordine nascuntur. Sic apud S. Augustinum legimus, quòd memoria sua natus, in Oriente, homo sit duplex superioribus membris, inferioribus simplex: cui duo fuerunt capita, manus quatuor, venter vnus, pedes duo; & tam diu vixit, vt multos ad eum videndum fama traxerit. Franciscus Valeriola tradit Auenione visum à se puerum duplici corpore, ab imo ventre ad pectus, vno capite prægrandi, quatuor cruribus, totidem brachijs, septem in singulis pedibus, digitis non satis distinctis, sex, in manibus singulis. Denique sunt quædam ex duabus pluribusue speciebus composita, de quibus est apud Aristotelem 2. Phys. tex. 83. Hæc Monstra Varro nominat bigeneres. sic legimus apud Aristotelem *lib. 6. de hist. cap.* 23. agnum capite bouino, vitulum capite humano, puerum cui ranæ caput fuerit, & apud Diodorum Siculum, Solinum, & alios Cynocephali leguntur capitibus

lib. 7. natur. hist. cap. 3.

lib. 16. de ciuit. Dei c. 8.

lib. 4. obseruat. med. obser. 2.

pitibus caninis latratus edere, beſtijs ſimiliores quàm hominibus. Inter iſta naturæ ludibria, quæ per accidens eſſe Ariſtoteles *lib. 2. Phyſicorum tex.* 80. & cum illo Senatus omnis ſapientum decreuit, cùm vel ad materiæ defectum & exuberantiam, vel ſitus vterini peruerſitatem, vel naturæ formatricis inpotentiam, vt Valeriola ait, vel locorum vitium, aut obſtaculum aliquod referenda ſunt. tertij generis monſtrum nobis eſto, bipes ille externo corporis habitu referens hominem prædotriba Halenſis, aſinino planè cerebro, quem idcirco non ineptè Onanthropon dicere poſſimus; animal ad perpetuas clitellas, non litteris tractandis natum. Pergamus audire laruatum pecus, vt videatis, viri Magdeburgenſes, quid de prætextatis illis miſellis expectandum ſit vobis, in veſtra olim Republica, quibus talis ingeniorum arbiter, ac morum formator contigit.

l. 4. medic. obſerv.

Quia Luther. us Aſino palmato eſt Theander, idcirco nobis ſit Halenſis Onander.

4. *Objicio autem illa*, inquit, *non eo potiſſimum fine, vt Antichriſtum Romanum ſanctos altiſſimi (quod alij veriſſimum hiſtoricis documentis comprobarunt) conterere, probem ac demonſtrem, id quod malitioſè mihi affingit Contzius, particula ſua (Hoc) digitum ad id intendens, quo libertius calumniari poſſit, vti apparebit infra: ſed hoc meum thema ſeculare tractat à pag. 25. ad 38. vim manifeſtam, bella, perſecutiones, exilia, vnam eſſe artium pontificiarum eamq; præcipuam, qua huius ſeculi lapſu, regni ſui Antichriſtiani pomœria dilatare ſategerint, non pro lenitatis Chriſtianæ conſideratione, ſed facinorum (modò non & libidinis & affectus) impunitate coercentes, quos corrigi fas erat, non necari.*

Hæc artium Ieſuiticarũ non poſtrema.

Horat 2. ſerm.

Quid? caput abſciſſum demens dum portat Agaue
Nati infelicis; ſibi tum furioſa videtur?

Numero 1. vti dictum eſt, *Sic eſt*, inquit, *objicio Pontificem conterere ſanctos Altiſſimi*; quia ſic graſſatur, &c. Hic ait, ſe non objicere iſtud eo potiſſimum fine, vt probet Antichriſtum conterere ſanctos Altiſſimi, ſed hoc in themate ſeculari ſuo agere ſeſe; vnam eſſe artium pontificiarum, regni Antichriſtiani pomœria velle dilatare. Vim publicam, bella aperta, perſecutiones manifeſtas vnam ait eſſe artium pontificiarum. quid facias iſtiuſmodi cerebro? quod ſi ars iſta eſt, quis non habeat iſtius artis longè peritiorem Alexandrum M. Hannibalem, Scipionem, Pompeium Mag. Iulium Cæſarem, Marium, Syllam, Cinnam, & plurimos alios, quàm Romanum aliquem Pontificem, omnium qui fuerunt, peſſimum? quid Attilam, quid Baiaſitem primum, quid Temirlanũ, quid alios recenſeam? qui in hoc nati videntur fuiſſe, vt vniuerſum genus mortalium vniuerſali quodam ſanguinis humani cataclyſmo voluerint

cbru-

obrutum? è quibus aliquis vnus, plus detrimenti & vastitatis, in hac rerum vniuersitate dedit, quàm omnes omnino, quotquot fuerunt à B. Petro Pontifices Romani, etsi præter sanguinem humanum nihil spirassent, sitiuissent; dare potuerunt. Si ista est vna artium pontificiarum vel Christianarum, vim publicam exercere, immane sit quàm longè à tergo reliquerint miserum Antichristum Romanum, antiquiores Romani, Tiberius, Domitianus, Traianus, Diocletianus, Maximinus, & reliqui congeneres. cui homini sano, in cerebrum sanum incidit, tales persecutiones, vastationes, artem nominare? Dicit objicere sese exempla tyrannidis secularis pontificiæ, non vt probet potissimùm, quòd Pontifex conterat sanctos altissimi: sed quòd regni sui Antichristiani pomæria dilatet. quis non iubeat, quicquid hoc est monstri bipedis κρομμύα ἐσθίειν καὶ ὀμοίζεσθαι? Quid Israelitæ ductoribus Moyse, Iosua, & aliis? an non dilatarunt imperium vi publica? quid Cyrus Persarum Imperator? nunquid ferro suos fines propagauit? an & illi, & iste erunt palmato Halensi Antichristus? Ostendit Adamus Contzen *cap.* 20. *Coronidis omnium iubilorum*, ex Danielis cap. 7. versu 21. veram esse plurimorum sententiam, cornu patuulum, esse Antichristum: & vnum Regem, qui tres Reges humiliaturus, seu contriturus sit: At eum non esse Romanum Pontificem, siue potestatem illius temporalem, siue spiritualem respicias. Deinde contendit, quòd Pontifex Romanus non conterat Sanctos Altissimi: ex quo consequens sit, Romanum non esse Antichristū. At verò omnes jubilantes audacissimè asseuerant, Pontificem Romanum esse Antichristum: quod vt euincant magnos cothurnis rem gerunt, vt illius, in Sanctos altissimi astruant tyrannidem. inter illos quoque nomen habere voluit asinus hic palmatus, vti βῦς ἀράλιος; quique videretur τοῖς μαινομένοις συμμαίνεσθαι. nunc cum vidit, quid vidit? sensit vinculis arctissimis & vtroque cornu præsepi suo illigatum, nihil aliud se potuisse, quàm velle funes illos excutere. quapropter vltrò fatetur, non hoc se egisse, vt probaret, Pontificem conterere Sanctos altissimi; sed d latare muros sui regni Antichristiani, per sæuitiam illam publicam. Adeoque Pontifex Romanus est illi Antichristus, quia per tyrannidem vult suæ ditionis fines prorogare. In neruum & robur abripiatur hinc, citius melius, caudex istiusmodi, rectà

Cepas edere & plorare.

Cornu paruulum Danielis significat Antichristum.

Bos marinus cum furentibus insanire.

---vbi viuos homines mortui incursant boues.

Nisi enim quis planè saginatus sit, in illis Abderitarum pascuis, vel

Videndus Plinius l. 11 c. 8

vel apud Potniam, scire debet, ab illis, qui Romanum Pontificem palàm Antichristum affirmant, & dicterijs inmanissimis, qualia quantaq; cudere potest incus Lutherani vel Caluiniani cuiuscunq; ingenii, eundem proscindunt, etiam hoc ponendum esse liquidò ad oculum, quòd Sanctos Altissimi conterat. Vt enim Antichristus cognoscatur, necesse est, eum ex iis notis effectisque dignosci, ab aliis tyrannis, quibus illum insigniuit diuinorum oraculorum Vates; qui inter notas alias, non postremam signauit istam, quòd contriturus esset Sanctos Altissimi Dicat ergo Lutheranus, Caluinianus Genius, quos Martyres vel Sanctos Altissimi contriuerit Pontifex? Atque hoc est, quod vult Adamus Contzen, vbi promiscuum fortè alicubi Caluinianorum, Anabaptistarum fuit excidium, in quo audimus παρατραγωδεῖν alterutram perduellium factionem, qui Ecclesiam Catholicam qualibuscunque machinis vellicant: an Lutherani asseuerent, illos Caluinianos, Anabaptistas, natâ, contra Magistratum loci, contentione, cæsos esse vt martyres? Probatque ipsorum Lutherilatrarum confessione, tales non esse martyres, aut Sanctos altissimi. Quod si dicant Lutherani, se suosque, martyres illos esse, in quos suam exercuerit crudelitatem Antichristus, negat istud hac ratione: Quòd Antichristus contriturus sit Sanctos Altissimi, tantamque persecutionem concitaturus, quanta non fuit à tempore, quo homines cæperunt esse: At verò tanta persecutio nunquam in Lutheranos instituta sit: imò Catholici multò plus damni à Lutheranis acceperint; quam hi ab illis, &c. Quæ numero 5. euomuit

Lutherani non possunt dicere, quod Pontifex cõtriuerit Sanctos Altissimi Paratragœdiare.

Lucil.

Hic strigosu' bouinatorq; ore inprobu' duro,

quis ad calamum sibi reuocauerit? baubatur hic canis, quod ex historiis euicerit, Sanctos & vnctos Domini, sicut Episcopos Christi, contritos: nec sanctos modò, sed sanctitatem ipsam, seu religionem ac sacrosanctam veritatem deletam & oppugnatam fuisse. Si δὶς κράμβη θάνατος: quid hîc iam quartum erit? Cuculus palmatus ait se historiis euicisse nec vllas prodit historias: ideoq; pro infrunitissimo calumniatore habebitur à nobis, donec legitimas edat historias: quæ fidem rei, in legitimo iudicio mereantur, interea ei, si non mentem integram possumus, quæ nulla est, sed leniorem insaniam ac furorem precamur.

Bis Crambe mors.

[pag. 8. *Glossa Contziana.*

Ex hisce prima ita habet.

Imbrem grãdineum è vẽto defendite fratres.

Caui, inquit, spirant mendacia folles, vbi ex B. Luthero Archiepiscopum Moguntinum Hala in Euangelicos sæuisse: ex historicis alijs probatur, triginta annorum spatio non-

in nongenta hominum millia ab Antichristo cæsa & trucidata: In laniena Parisiensi, vltra 30000. mactata. in Belgio Ducis de Alba tyrannide 18000. Viuente Carolo V. 10000. ad Gandauensem transactionem 30000. Cadauera etiam effossa ac cremata recenseo, pag. 188.

Respondeo.

1. Pinxit *Apelleo se Contzius ipse colore, idq; facile illi fuit, qui mendacium spem, & calumniæ asylum posuit suum. vtri enim quæso fides potius debebitur? Luthero ne Vicino aurito testi, ex oculatis hancce auditam Moguntini sæuitiam narranti & confignanti; an Iesuitæ Fanatico, sola veritatis abominatione, loci religione ac fauoris aucupandi gratia, post integrum ferè sæculum abneganti? Arbitros si viros bonos recusat Contzius, sui similem patiatur sal. em litem dirimere. Est is Pseudo-Iubilæi Scriptor Molsheimensis, qui cap. scripti mendacis 21. pag. 156. Ioannis Cochlæi testimonio, quia Lutheri coætaneus fuerit, inter reliqua multum tribuendum esse grauiter censuit. Fruatur noster Lutherus eodem cum hoste iure, & mendax pronunciabitur Contzius.*]

An & hæc cani spirant mendacia folles?

Spumea nunc primùm rabies Vesana per ora
Effluit, & gemitus; & anhelo clara meatu
Murmura:
— Iam Phœbi patiens immanis in antro
Bacchatur Vates: magnum si pectore possit
Excussisse Deum. tanto magis ille fatigat
Os rabidum fera corda domans, fingitq; premendo.

Lucan 5. Pharſ.

Virgil. 6 Æneid.

Asinus ille vester palmatus, Viri Senatores Amplissimi, ἐνθυσιῶν καὶ πνευμάτος ἐκ θεοῦ, καὶ ἀναβεβαχχευμένος μανίᾳ, ἀνοχεῖται. Adeoque nullum ei interuallum est aliquod dilucidum, vt hîc non solùm producat testem in causa propria Lutherum, nec citet locum, vbi hæc Lutherus dicat, sed in Iesuitam compromittat litis arbitrum: & ad scriptum, quod illa ipsa furia mendax ait, prouocet. Iesuitam illum Molsheimensem dicit *cap. 21. mendacis scripti grauiter censuisse*, multum esse tribuendum Cochlei testimonio, quia Lutheri fuerit coætaneus. atque inde vult consequi, fidem esse habendam Luthero: nec tantùm aduersario accusatori vult Iesuitas credere; sed eundem testem vult esse in propria causa omni exceptione maiorem. ecquod argumentum vultis edam vobis insaniæ manifestioris? quam probationem furoris præsentiorem vel pleniorem, quàm ipsam pædagogi Vestri professionem illam publicam, qua non mediocrem labem aspersit vestris amplissimis nomini-

Afflatus numine, exagitatus à Genio, per bacchans ridet, exultat.

Asino palmato nihil interualloru̇ dilucidorum

minibus? Scitis ipsi, quòd nemo possit in causa propria ferre testimonium. *l. nullus ff. de testib l. omnibus C. eodem.* quòd omnis rejiciatur testis inimicus expressæ causæ. *auth. si testis dicatur §. si odiosus. C. de testib. c. quotiens aliqui. 5. de testib.* hic causa est notoria, in Luthero, multis modis. & ipse vester asinus iste palmatus *pagin. 60* Lutherum ait suis precari solitum, *ut Deus dilectione Christi & odio Papæ ipsos impleret.* quod odium quo modo ille vester Elias & Thaumasiander in omnes Papistas extenderit, vobis cõstat maximè. Scitis quod vocatio testium examinandorum sit necessaria, communi iure, pro substantiali formâ probationis; & citatio aduersariorum, vt adsit productioni & receptioni testium, iuramentoq; præstando: *Iason in l. nec quicquam §. vbi decretum n. 37 ff. de offic proconsl. l. quando. §. sed cum minimè C. de testib. l. Iudices C. de fid. instrum.* Scitis, quòd testis singularis cuiuscunque sit fidei vel dignitatis, nunquam probet nisi semiplenè *gl. in §. item verborum ff. de inutil. stipul.* adeò vt nec Princeps generaliter statuere possit, vt vnius standum sit testimonio: quia ex diametro hoc statutum pugnaret iuri diuino: *Deut. 19.* cui iuri Princeps non præualet *gl. in l. fin. C. si cert. vel vtil. pub.* vnde & Q. Scæuola, vt est apud Valer. Max. summus vir, in reum productus, cùm id respondisset, quod salutem periclitantis magnopere læsurum videbatur, discedens adiecit, *ita sibi credi oportere, si & alij idem asseuerassent: quia vnius testimonio aliquem credere, pessimi esset exempli.* Et quandoquidem hic de existimatione Lutheri strictè nonnihil dicendum est, ista vos æquanimitate ac grauitate arbitror esse, Viri Senatores Amplissimi, vt sepositis quibusdam, de Luthero vestro, præiudiciis, me, quod res est, dicentem æquis animis auribusque audituri sitis. Calliistratus *in l. 3. §. l. Iulian ff. de testib.* ait quosdam propter lubricum consilij sui: alios propter notam & infamiam vitæ suæ non admittendos esse ad testimonij fidem. & noti iuris est, quod is, qui semel peierauit, rectè semper arceatur à testimonio *l. qui accusant. ff. de accus.* item infamis. *l. infamem. ff. de publ. iudic.* tum etiam damnatus ob carmen famosum: *l. ob carmen. ff. de testib.* Horum omnium criminum habemus reum Lutherum, ac legitimè conuictum. Et vt à primo ordiar, quod est lubricum consilij, vt dicam leniissime summam leuitatem lubricitatis vocabulo, non afferam quæ Theologi Catholici copiosissimè probarunt, ex propriis Lutheri scriptis, quæ in locis Lutheranis, VVittenbergæ, Ienæ & alibi excusa sunt, de stupenda hominis, qui Theologiam non dico, sed omnis prope fidei Catholicæ euersionem, profitebatur, incõstantiâ & versatilitate futilissimâ ac plusquam muliebri, Lutherilatram egregium, Sleidanum citò: non quod testem illum omni exce-

Nemo testis in causa propria.

Princeps nequit statuere, vt vnus testis sufficiat Lib. 4 c. 1.

Lubricum consilij & infamia vitæ, fidē elenat.

Lutheri crimina.

exceptione maiorem arbitrer; (cuius rei causas alibi, in historicis forte-an editurus sum:) sed quòd de Luthero scribat, quæ maximè probat multitudo vtriusque sexus, quæ Lutherum sequitur. Ait itaque Sleidanus, Lutherum Syluestro Prierias scripto quodam respondisse; ad Indulgentias quod attineret, *Iuris Pontificij præscriptum in eo sequendum esse.* tum etiam, in eadem, aliisque nonnullis controuersiis, quæ illi fuerunt cum Cardinali Caietano professum fuisse, quòd non Academiis tantùm, sed etiam Ecclesiæ Romanæ Iudicio vellet rem totam subjicere. quodque à Pontifice Romano minus edocto, quantum quidem ad statum illum controuersiarum pertinebat, ad Pontificem rectiùs edocendum prouocarit; atque hoc ita palàm sit protestatus. Mox, cum Pontifex nouo edicto sanciret Indulgentias, eamq; diceret esse Ecclesiæ Romanæ, quæ magistra sit reliquarum omnium, doctrinam, vt Petri successor, Pontifex Roman. & Christi Vicarius, potestatem habeat hoc beneficium largiendi, &c. & Lutherus è Caietani litteris acceperat, fore, vt contra se Romæ iudicaretur, nouam interiecit appellationem die 28. Nouembr. initio profitetur, nolle se Romani Pontif. rectè sentientis authoriatem conuellere, multò minus ab Ecclesia dissentire: Veruntamen, quia Pontifex pari sit cum reliquis mortalibus conditione, fieri posse, vt erret & delinquat: nec illi hoc esse tribuendum, quasi ipse vnus falli non possit: exemplo Petri, quem aberrantem in sana doctrina Paulus grauiter & apertè reprehenderit; ideoque prouocare se à Pontifice ad futurum concilium, quod illi sit modis omnibus præferendum. Quo facto, nihilominus insequenti die tertia Martij 1519. litteris ad Pontificem datis, tantam profitetur Ecclesiæ Romanæ potestatem esse, vt præter vnum Christum, in rebus humanis, nihil sit excellentius, &c. Quid postea? cum Theologi Louanienses ac Colonienses Lutheri libros aliquot, nempe *ad Syluestrum Prierias, conciones etiam de pœnitentia, de excommunicatione, de indulgentiis, de præparatione ad mortē*, facto decreto damnassent, respondet Lutherus, *quòd claram euangelij doctrinam delere studeant, & tempore deteriores euadant: Deum in ipsos haud dubiè grauiter concitatum esse*, & cæt. quæ neq; huius sint loci, & pudeat pigeatq; adscribere. Eodemq; anno, cum Pontifex, recitatis Lutheri dogmatis, aduersari ea diceret charitati Christianæ, & reuerētiæ, quam oēs, Ecclesiæ Rom. debeant: itaq; cōgregationem fecisse cardinalium senatus & aliorū, qui quidem à multa disceptatione pronunciassent, ea minimimè recipi oportere, ꝙ & conciliis & Patrib. & Ecclesiæ fidem derogarent: deq; illorum consensu ac volūtate doctrinā illius oēm damnaret, & pro ea potestate, qua poterat, mādaret

Commēt l 1

Factum V. Eid. Nou. 1518.

Verba Sleid.

Sleid. l 2. Comment. Anno 1520.

Lutheri versatilitas futilissima.

daret omnibus vt eam defugerent,& cæt.ibi verò Lutherus à Pontifice rursus ad Concilium se prouocare ait; quatuor potissimùm de causis: quòd videl. non audita controuersia, non conuictum, pro sua libidine damnasset; quòd fidem in sacramentis necessariam à se iussisset abnegari; quod suas opiniones & merè humana deliria sacris litteris antepoſuisset, quòd concilio nullum reliquisset locum: itaq; *temerarium vocat illũ & præfractum, & tyrannum & ſuperbum Eccl ſiæ contemptorem, & Antichriſtum deniq;* Hæc omnia ipsismet Sleidani verbis. Quæ omnia, si quis rectè pòderet, vix mirari satis poterit, cum mendaciis insignitissimis tam effrenè efficontemq; Lutheri inpudentiam ac superbiam: qua, cum ex Pontificis decreto, lucubrationes illius hæreticæ exurerẽtur: quo cognito Lutherus cõuocata omni multitudine scholastica, VVitteb. bergæ, & aliorum hominum comitante turba, Ius Pontificium, & nuper euulgatum illud Pontificis decretum, palàm incendit, die 10. Decemb. an. d. & quod facinus ille probet, qui iura diuina & humana vnius hominis priuati, in cõsetum vniuersi generis humani, iudicio & libidini subjicienda postulat; quo super non hîc instituì dissertationem copiosiorem mouere. Vnum est, quod non possum hic omittere: quòd an. proximo 1521. cùm iussu Caroli Cæsaris Eccius Iurecõs. interrogaret, an libros illos à se conscriptos esse fateretur: & nunquid in ijs tractare, an verò quæ scripta sint, tueri vellet, libros quidẽ suos esse agnouit; sed an propugnare vellet, quæ scripsisset, ad illud deliberãdi spacium popoſcit. Ad quæ Eccius, cum dixisset facilè illi fuisse causam de scripto Cęsaris, cur esset vocatus, intelligere: atq; idcirco ei non licuisse moram interponere, tamen dies illi ad deliberandum datus est. postridie, cum iussus esset ad idem, quod secundum erat quæsitũ, respondere præmissa increpatione, cum de fide sua vnusquisq; tam certus esse debeat, vt cuiuis etiam petenti, rationem statim reddere possit: tantùm abesse, vt ipse tam exercitatus Theologus dubitare debeat, aut responsum pręmeditari, ipse miris diuerticulis eludere Cæsarẽ conatus est. Deniq; planum responsum iussus ab Eccio edere, dixit nisi scripturæ sacræ testimoniis vel euidenti ratione conuincerotur, non se posse quicquam eorum, quæ scripsisset vel docuisset, reuocare. Pontifici autem Rom. & conciliis solis non se credere, nec ipsorũ authoritatem recipere. Quid Eccius? Verè inquit non rectè Lutherum facere, & vehementer in eo delirare, de conciliis. nam quæ semel Ecclesia damnauisset, de ijs nullam esse nouam disputationem instituendã: neq; permittendum, vt de quaq; re sibi rationẽ reddi postulet. Si n. hoc recipiatur, vt eum, qui conciliis & Ecclesiæ contradicit, locis scripturæ opor-

Inpudentia & audacia Lutheri mẽdacissima

VVormacia Sleid. lib 3

oporteat conuincere, nihil vnquam fore certum aut definitum.

Ad me quod attinet hoc loco; incunctanter dixerim; si qua vndecunque in animis nostris, de controuersia ad religionem fidemque spectante exoriatur disputatio; nullam illius exstirpandę penitus, vel certiorem vel securiorem videri posse rationem, quàm est aurea illa S. Augustini morma, quam habet ad Ianuarium in epistola quadam sua: Vbi quid, in Ecclesia occurrit, de quo ambigitur an sit faciendum, aut ad diuinæ scripturæ auctoritatem recurrendum esse pręcipit; si modò ipsa tale quid præscribit: nec amplius dubitandum, quin ita facere debeamus. Aut videndum, si quid horum tota per orbem frequentat Ecclesia. Nam & hinc, quin ita faciendum sit, disputare, insolentissimæ sit insaniæ. Quid enim, inquam, dogma arguit esse Catholicum, si non ille consensus, qui decernitur in concilijs? Quod si quis dicat vniuersam Christi Ecclesiam vndiquaque diffusam aberrasse, tam aberrat à sana mente, quàm is qui putat se solum sapere, & reliquos homines nihil præter numerum facere & fruges consumere? nec vlla potest fingi ratio, cur non debeam credere illum errare maximè, qui omnes ait aberrasse: nec tam hominem aio esse extrema temeritate qui ait aberrare Concilium, quàm supina impietate, qua Deum erroris arguit, qui nos iussit stare iudicio Ecclesiæ, & ad gentiles ac publicanos relegat horrendo carmine, nisi dicto eius audientes simus.

Augustini sententia. est Epist. 118.

Alterum quod statui, est solennis Sacramenti violatio, & ex illa non simplex Lutheri infamia. Clamat Iuuenalis;

Nemo malus felix; minimè corruptor, & idem
Incestus: cum quo nuper vittata iacebat,
Sanguine adhuc viuo terram subitura sacerdos.

Sat 4.

Iuris est minimè controuersi, nuptias in Ecclesia Catholica, ijs interdictum, qui in Diaconos, presbyteros, & episcopos promouentur *c. diuersis fallacijs. & c. 1. de cler. coni. c coniug. c. 5. de conu. coniugat. l. 3. Decret. tit. 32. c. 1. & can. si quis eorum. 32. dist. cap. 1. & 2. qui cler. vel vou. l. 4. Decretal. t. 6. Clem. eos. de consang. & affinit.* nec Iure Pontificio tantùm sed etiam ciuili Cæsarum, qui inter clericos, vltra lectorem & cantorem nuptios contraxerit, sacerdotio cadit §. *sed & si quis de Nupt. in authent. coll. 4. §. neq; autem quom. oport. episc. in auth. ead. coll.* quas sanctiones manifestò liquet ex Apostolorum canonibus desumptas esse; his verbis τῶν εἰς κλῆρον προσελθόντων κελεύομεν βουλομένους γαμεῖν, ἀναγνώστας καὶ ψάλτας μόνον. Quem canonem Epiphanius citat *l. 2. contra hæres. tom. 1. in Catharos.* Itemque iuris est

Canon. 26. Græcus vulgo 25. ex iis, qui cœlibes in clerũ peruenerũt iubemus vt lectores tantũ & cantores, si velint, nuptias ineant.

Notorij; quòd ijs, qui ſolenne votum religionis ſunt profeſſi, quæq; deo ſunt conſecratæ, & religionis votum vouerunt, interdictũ ſit matrimonium *c.3.& 4. qui cler. vel vou. c. ſicut. de regular. c. vnic. de vot. in 6. tota cauſa 29.* quin & illæ virgines, quæ poſt conſecrationem Deo factam nupſerint, adulteræ & inceſtæ dicuntur *cap. virgines. 27. diſt.* deo enim deſponſatæ videntur. *cap. virginibus 27. q. 1.* & Viſigotorum legibus, matrimonium cum talibus initum, non ſolùm dirimitur, ſed exilio etiam & proſcriptione bonorum punitur, *l. 2 de inceſtis lib. 3. Cod. Viſigot. tit. 5.* Iure Canonico Epiſcopus, presbyter, diaconus, ſubdiaconus, lector, pſalmiſtes, hoſtiarius, qui cũ muliere ſanctificata mæchati fuerint, loco deijciuntur, quia ſponſam Chriſti corruperunt: ſi laicus ſit, excommunicatur *c. ſi quis. 27. qu. 1.* & à ſacra ſynaxi in perpetuum, dempto mortis tempore, ſi dignè pœnituerit, arcetur *c. virginib. 17. cod. ca. raptores 36. q. 2.* ipſæ autem moniales lapſæ, ergaſtulis includuntur, vt perpetua pœnitentia, ad mortem ſe macerent. *c. impudicas. 27. q. 1.* Iure Ciuili non tantum capitali ſupplicio puniuntur, qui rapiunt iſtiuſmodi virgines ſanctas, verum etiam ſi quis eaſdẽ quoq; volentes rapere tentauerit *l. ſi quis non dicam rapere. 5. de Epiſc. & cler.* Quid Lutherus? Ex Sleidano verba ſunt: *Per hos ferè dies*, inquit, (orta nẽpe inter Lutherũ & Carolſtadium, de Cæna domini, controuerſia:) *Lutherus quandã è ſacris, vt aiunt, virginib. in matrimonium duxit. qua quidem re magis in ſe concitauit aduerſariorũ criminationes. tũc enim planè ipſum furere, & Satanæ factum eſſe mancipiũ clamabant.* Prorſus, inquam, hoc ipſo Satanæ mancipiũ ſe eſſe, toti orbi Chriſtiano (Græcorum & Moſchouitarũ corruptelas nihil moramur; cũ illæ gentes non pertineant ad Iuris noſtri genuinam caſtamq; tractationẽ) manifeſtũ fecit: triplicis voti nefarius violator. Nã ipſe duplici voto continentiæ, vt ſacerdos & monachus tot annos ſe Deo cõſecrauerat, & illa quã rapuit, Chriſto deſponſata fuit, cui auctor fuit Sacramenti illius violandi. & rectè S. Chryſoſt. arbitratur, monachorũ, qui caſtitatẽ Deo vouerunt, nuptias adulterio peiores eſſe: quibus diremptis in monaſteriũ retrudẽdi ſint. quod & de monialib. cautũ eſt, quæ fidẽ ſuam Deo dederũt *c. & quia. & c. vt lex 27. q. 1.* ac Dei Maieſtatẽ hic perpendimus, cui fit votũ. *c. magne. de voto.* graue eſt, inquit Iureconſ. fidem fallere *l. w. 1. de conſtit. pecun.* quã inpiũ eſt, Deo fidẽ datam ſpernere? *Si quis votũ domino vouerit*, ait Legislator, *aut ſe conſtrinxerit iuramento, non faciet irritũ verbũ ſuum, ſed omne quod promiſerit, implebit.* & alibi: *cum votũ voveris Domino Deo tuo, non tardabis reddere.* His accedit Dauid: *vovete & reddite Domino Deo veſtro.* Habemus ergo hîc Lutherũ, qui Iuſtiniani Imperatoris verbo, *peſſima criminũ peccauit, non ſolũ ad iniuriã hominũ, ſed ad ipſius omnipotentis Dei irreuerentiã.* & ſacrilegis iſtis nuptijs fædè infamis eſt, ideoque inteſtabilis. Quid contra

Comment l 5. Anno Sal 1525.

Homil 21 ad Theodorũ monach.

Numer 30.

Deutero 23

Pſal. 75.

L. rapt. vnica C de raptu virg ſeu vid.

possunt Lutherani? Non habent quod dicant votũ Lutheri fuisse temerariũ: in quo tot annos perseuerauit, nec possunt dicere, ꝙ ab alio reuocari potuerit, ꝙa Lutherus sui iuris fuit, cũ libera voluntate. Si dicũt præstari nõ posse votũ eiusmodi, vti vulgo dicunt: contrariũ ꝓbamus; Ex Euangelio ꝙa sunt, qui se castrant ꝓpter Regnũ Dei. Si regerant; nõ omnes capere verbũ illud. respõdeo: *Si nolueris polliceri, absq; peccato eris: ꝙ aũt semel egressum erit de labijs tuis, obseruabis, & facies sicut promisisti Domino Deo tuo, & ꝓpria voluntate, & ore tuo locutus es.* Quod si instent, melius nubere q̃ vri, 1. Cor. 7. responsum nobis suggessit Tertullianus. *Præferimus sanctitatẽ sine nuptiarũ damnatione; non vt bonũ malo, sed vt bono melius* Virginitas impleat paradisũ; nuptiæ terrã. *c. nuptiæ 32. q. 1.* Addam ex concilio Gangrensi *si quis vituperat nuptias & dormientẽ cũ viro suo fidelẽ ac religiosã detestatur, aut culpabilẽ æstimat, velut ꝙ regnũ Dei introire non possit, anathema sit.* Et ex *Can. Apost.* inhibitionem nuptiarũ βδελυρίαν aio. Augustũ publicè nuptias laudantem laudo apud Dionẽ *l. 56.* ꝙ naturæ mortalitas perpetua stirpis successione, quasi face alijs subinde porrecta, cõpensetur. Mittat Persarũ Rex munera strenuis illis suis, qui plures procreabunt liberos. Quod si transmittet in Germaniã? rustici ni fallor omnẽ nobilitatẽ à tergo relicturi sunt illa strenuitate. Scimus hoc Susarionis, (a) *κακὸν γυναῖκες, ἀλλ' ὅμως, ὦ δημόται,*

οὐκ ἔστιν οἰκεῖν ἄνευ κακοῦ.

Matth 19.

Deuter. 23.

Lib. 1 ad uxor. Mare.

Can. si quis vitup. &c. quicunque virgin. 32. dist. in Syn. Gangr.

Can. 51. proteruiam impudentem.

Herod lib. 1. Apud Stobæum nupt.

(a) Malum mulieres: attamẽ ópopulares, non est habitatio absq; malo.

Scimus interesse Reipublicæ, vt ciuitates repleantur liberis *l. 2. de indi. vid. toll.* C. tũ ẽt dotes suis priuilegiis nixas, vt nubãt fœminæ *l 1. ff. sol. matr.* maritis propriũ honoris locum, in theatris Augustus distinxerit vt Suet. tradit. deniq; qui plures habet liberos, cæteros honoris ordine præcellat, & primus sententiã dicat in collegio Papinianeo *l. spurij. 5 ff. de decur.* Sed & legitimè Constantinus legẽ Papiã, qua cœlebs à iure successionis iniq; excludebatur, abrogauerit *l 1. de infirm. pœn. cælib* C Grauissimè Basilius: qui se iã propria, inquit, professione Deo obstrinxit, Deo se cõseruet necesse est, vt anathema sacrum aliquod; ne sacrilegij iudicio se reddat obnoxiũ, si corpus deo consecratũ, cõmunis vitæ seruitio iterum polluat. Et quis adeò temeraria sit inpietate, qui non auscultet Ambrosio vbi ait; dictum illud, melius nubere, quam vri, *ad virginem non velatã pertinere. Catechumena quæ se Christo spopondit, & sanctum velamen accipit, iam nupsisse, iam immortali iunctam viro, & si violarit nubere communi lege coniugij, adulteram esse, & ancillã mortis fieri.* Quin etiam videndus idẽ est, vbi rationẽ reddit, cur Leuitis olim indultũ fuerit vxores habere, ꝙ multum immunes essent à sacerdotio, & tempore ministerij, nõ accederent templum nisi purificati; hodie verò sacerdotib. vitam cælibem agendã esse, quia munus sacerdotale incum-

Matth 19.

Deuter. 23.

Lib. 1 ad uxor. Mare.

Can. si quis vitup. &c. quicunque virgin. 32. dist. in Syn. Gangr.

Can. 51. proteruiam impudentem.

Herod lib. 1. Apud Stobæum nupt.

(a) Malum mulieres: attamẽ ópopulares, non est habitatio absq; malo.

Augustin. cap. 44. in Asc. serm. post Eth.

Ad Virgin. lapsa. c. 5 tom. 1. op.

Tom 4 sup. c. 3 pr ad Timoth.

incumbat ipsis quotidie. Quod pluribus non est hiç adstruendum contra osores castitatis. hos enim ad Vitisam ablegamus Gotorum, in Hispania Regis: qui inter alias leges nefarias aliquando sacerdotibus fertur indixisse, vt quot quisque vellet, aut posset alere, vxores aleret, teste Panormitano. Quod si daretur Pontifex aliquis hodie, non dicam Vitisa aliquis; sed qui vnam saltem permitteret clericis vxorem ducere, non paucos Lutheranos haberemus, & Caluinistas etiam, qui facilè possent reconciliari Catholicis, interueniente sacerdotio aliquo vnctiusculo: vel asseuerare saltem ausim, si Leo Decimus, vel Adrianus quintus, suas Bertas parochis iunxissent, non tot perduelles hodiè nos Ecclesiæ Catholicæ habituros. Quapropter atro carbone Lutherus nobis signandus est, quòd laxata luxataque cœnobitarum regula, sacerdos & monachus tot annos, iisdem manibus, quibus Deo quotidie sacram hostiam litare consueuerat, non tantùm ipse peruigilium suæ Veneri Catharinæ quot noctibus vouerit, sed monasticam disciplinam omnem exstirpare, scriptisque inpurissimis persuadere vulgo conatus est; non posse castitatem seruari, quo nomine solo etiamnum posteri Lutherani, illum communi odio proscribere deberent, qui commendatam cuperent suis liberis pudicitiam. *Quid enim salui est*, inquit, infelix sua castitate, Lucretia, *mulieri amissa pudicitia?*

Cap. capellanum de feriis can. nõ oportet. 33. q 4.

——*isthoc illecebrosius*
Fieri nil potest, nox, mulier, vinum, homini adolescentulo;

Plaut. Bacchid.

Quid fiet, inquam, recepta ista Lutheri disciplina? quam scripto tradere ausus fuit, tam necessarium esse homini vsum rei venereæ, quàm edere, bibere, dormire, phlegma exspuere &c. Meliora Catholici de Rebus publicis bene ciuilem in modum constitutis auguramur, viri Magdeburgenses: & vt pudicitiam coniugalem inter vos esse non dubitamus; ita & virgines viduasque inter vos castas esse nihil cunctamur asseuerare; quæ non essent, ex Lutheri dogmate, si verum esset.

Hac casta maneant in religione nepotes.

Virg. 3. Æneid.

Ad tertium eo; nempe Lutheri infamiam, quæ ex libris & famosis carminibus eum sequitur. Sententia est communis omnium Iureconsult. quod damnatum ex atrocibus & grauioribus iniurijs sequatur infamia. At Lutherus orbis totius Christiani iudicio damnatus est ob libros, quos ad infamiam Catholicorum scripsit, & picturas, quas sculpi fecit ad infamiam summi Pontificis. Ex quibus sequitur, quod Lutherus sit intestabilis

testabilis *l. lex cornelia 5. §. si quis librum. & l. senatus consultum. π. de iniurijs & fam. lib.* & nec testis esse potuit neque testamentum condere *l. ob carmen. 21. l. cum leges. & l. 15. qui. § fin. π. de testibus.* Ac constitutio Caroli V. Imperatoris illam pœnam diffamāti irrogat, quam is, qui libello diffamatus est, merebatur, si criminis intentati reus aut conuictus fuisset. Quomodo Lutherus in Theologiam, & Theologos scholasticos debacchatus sit; alij copiosè ostenderunt: ego promulsidis alicuius instar opponam paucula. in art. Luth. quos condemnarunt Paris. tom. 2. lat. Witeb. *Theologia,* inquit, *Scholastica, est falsa scriptura & Sacramentorum intelligentia, & exulem nobis fecit, veram & sinceram Theologiam. Quo tempore cæpit Theologia Scholastica, id est illusoria, eodem euacuata est Theologia Crucis, suntq; omnia planè peruersa.* Et alibi: *impossibile,* inquit, *est apud Scholasticos intelligi, quid sit peccatum, promissio, fides, iustificatio, inputatio, lex & impletio eius. Non sunt hæc in earum libris.* In Academias planè furit. *Chaos illud,* inquit, (Danielis 8.) *& ianua patens inferni, incredibili facie spectabilis: vniuersitates, inquam, in quibus periuria, & abusus nominis Dei sunt introitus. Deinde conuersatio in omne scelus libera & licentiosissima. sub ijs tamen peccatis promittitur scientia, & sapientia, etiam præstitutis titulis, & gradibus, vice scilicet mercedum. Quid autem præstant tandem? Primùm electiores Christiani populi adolescentes hic prostituuntur, & in patens guttur inferni proijciuntur; vt per idolum Moloch figuratam putem hanc perditionem, cui filios & filias olim dilectissimos lustrabant per ignem.* & mox. *Hanc larualem faciem* (id est vniuersitates) *prædixisse mihi videtur Ioannes Apocal. 9. cuius verba dignum est hic recensere ait enim: Et quintus Angelus tuba cecinit. Is est, qui primus Vniuersitates instituit, vel confirmauit: quem mihi non facile fuerit nominare, ita variantibus historiis. sed sit, quisque fuerit. stella de cœlo in terram lapsa vel Alexander de Ales, vel quod magis credo, S. Thomas fuit.* &c. *accepit autem clauem putei abyssi, & aperuit eduxitque nobis mortuam iamdudum, ac damnatam, per Apostolos Philosophiam. Et inde ascendit fumus istius putei, id est, mera verba, & opiniones Aristotelis, ac Philosophorum, sicut fumus fornacis magnæ. Inualuit enim, & latè potens facta est Philosophia, vt Christo Aristotelem æquarit, quantum ad autoritatem & fidem pertinet. Et ex fumo putei exierunt locustæ in terram. hic est populus Vniuersitatum, è Philosophia natus sine Rege Christo &c. autoritate & studio Thomæ eleuatus Aristoteles regnat resuscitans liberum arbitrium, docens virtutes morales, & Philosophiam naturalem, vt triceps scilicet Cerberus, imò tricorpor Geryon. Ecce primum væ, quod à Romano Pontifice habet Ecclesia, per ministerium S. Thomæ* &c. Iurisprudentiam non tractauit sanius. *Bonum,* inquit, *fore, si Ius Canonicum, à prima littera, vsque ad vltimam funditus aboleretur, præsertim decretal.s:*

Constit 110.

Luth. tom. 1. VVitеb. 1582. fol. 412

Luther. contra Cathar.

Lib. ad Nobil Christ. Tom. 1 serm.

cretales: satis superque in Bibliis tradi, quomodo vnusquisque in rebus agendis se gerere debeat: Tale studium impedire sacram scripturam: maxima ex parte olere auritiam, & superbiam: & posito quòd multa salutaria contineret, meritò tamen debere exterminari, eò quòd Pontifex omnia iura Canonica in scrinio pectoris sui captiua teneat &c. Pereat, igitur, & concidat in nomine Dei, quod se in nomine Diaboli extulit. Et nullus sit amplius doctor decretorum super terram. Plura qui volet ex illo scurra furiosissimo scire, ex Anatomia Pistorij, Iuridiço Lutheri Conradi Andreæ, & Gretzero petat. mihi non lubet plura congerere; ex luto & oleto Lutherano. Graphidos tamen & plastices quàm Lutherus non imperitus fuerit, quidni lubeat ostendere? metopas & agalmata quædam eius, insignita suæ Professionis theologicæ lenocinia, quibus mandræ suæ fastigia, epistylia, stylobatas, plinthos, totum denique structuræ suæ nouitiæ fabricam exornauit, (quæ dorici ædificij rationem habet potissimum: quippe ista bellicis suis monumentis ac trophæis erigendis visa fuit illi conuenientior;) ex ipso Sleidano opponam, ne quid Lutherilatræ me possint arguere calumniæ. Cum Paulus tertius Pontifex Romanus, Casparum Contarenum, Petrum Theatinum, Iacobum Sadoletum, Reginaldum Polum, cardinales: Fridericum Archiepiscopum Salernitanum, Hieronymum Aleandrum Archiepiscopum Brandusinum, Io: Matthæum Episcopum Veronensem, Gregorium Venetum Abbatem, & Thomam palatij sacri magistrum delegisset, ijsque grauiter, vt ait Sleidanus, mandasset, vt Ecclesiæ morbos & accuratè perspicerent, & adulatione omni remota, sibi demonstrarent: simul iusiurandum ipsis remisisset, vt liberè pronunciarent, magno tamen silentio rem gererent: *Lutherus* (verba Sleidani sunt lib. dicto.) *lingua populari, Ioannes Stumius autem latinè respondet, ad emendatores ipsos oratione conuersa. Lutheri libello prefixa pictura statim denotat argumentum. nam Pontificem in sublimi solio sedentem circumfistunt aliquot cardinales, qui caudis vulpinis, ad langurios alligatis, veluti scopis, omnia sursum deorsum repurgant.* Sed alia duo Ζωγραφήματα dabo, planè altero Elia, & Thaumasiandri illius Seraphici spiritu prophetico dignissima. Scripsit Lutherus populari lingua librum, cui titulus, aduersus pontificatum Romanum, à Satana constitutum. *eo libro*, inquit Sleidanus) *primùm respondet epistolæ Pontificis, qua Cæsarem grauibus verbis adhortatur à procuranda religione. post, ea scripturæ loca, quæ Pontifex vsurpat ad sui primatus confirmationem, copiosissimè refutat, & in ipsum retorquet. Libro picturam prefixit, qua statim indicat argumenti summam. Sedet in sublimi cathedra Pontifex, iunctis & protensis manibus, ornatu solenni, sed aures habet asininas: circa verò plurimi sunt cacodæmones, variis figuris, quorum alij superimponunt eius capiti diadema*

Anno salutis 1537.

Lib 12. Comment.

Lib. 16. Comment. Anno 1538.

dema triplex, oleto fastigiatum: alij funibus eum demittunt in medium infernum, horribili specie subiectum: alij titiones & ligna comportant: alij tanquam officiosi, pedes ei subleuant, vt rectà molliterq; descendat. Ecce aliud tibi agalma, quod merum purumque redolet Euangelium. *Alteram quoque tunc,* ait Sleidanus, *emisit, ridiculam quidem. sed futuri prænunciam picturam. Sui pontifex insidet ornatus, ampla & mammosa, quam ca'caribus fodit; dextra digitis duobus, pollici proximis de more protensis, bene precatur ijs, qui fortè occurrunt: sinistra tenet oletum recens atq; fumans: ad eius nidorem porca suspicit, & rictu naribusque pradam captat: ille verò per ludibrium, & acerbè bestiam increpans, vt me sessorem, inquit, habeas, & calcaria mea perferas, oportet, quantumuis id inuita facias: de concilio mihi satis iam diu molestiam exhibes, quo me traducas, & liberè criminari possis: en illud, quod tantopere petis, concilium. per porcam designat Germaniam. hac illius ludicra pleriquetaxabant, vt parum ipso digna, neque satis verecunda: sed suas ipse rationes habebat, quamobrem ita faceret. & longius prospicere credebatur: & extant alioquin, in illius libris, passim vaticinia multa, de rebus grauissimis, quorum nonnulla iam comprobauit euentus: reliqua sunt adhuc in manu dei posita.* Hæc Sleidanus, idem penicilli istius Lutherani delineator, & arbiter sagacissimus; nasutior illa porca, quæ rictu suo fumans oletum Lutheranum illud captauit. quis illo Copronymo dignior potuisset inueniri Sterculus historicus? cui non tantum istiusmodi oleta Lutheri, pro sudore animalis & odoramento, quod historiæ naturalis consulti Zibeth vocant, fuerunt, sed ex oletis Lutheranis illis diuinos instinctus & futurorum collegit oracula. Neptuni filios ne alloquebantur quidem olim Ægyptij, ex eorum sermone rati se contaminatûri: quamobrem nullo modo salem marinum adhibebant in sacrificijs. Poetæ verò alienos ab humanitate, & inmanes dicebant, vt Cyclopa, Cercyona, Lestrigonas. Testor te Germania: licetne antestari? In Africa semper aliquid monstri noui dicitur enasci. Vnum monstrum anno 1483. in Germania enatum est, in quo monstrorum omnium videmus epitomen. *Dicto loco.*

—— monstrum nulla virtute redemptum *Iuuenal. Sat. 4.*
A vitijs: æger solaque libidine fortis.

Nec sat habuit sacros apices summi Sacerdotis œcumenici oletis conspurcare, nisi Germaniam quoque vniuersam, cum Imperatore & omnibus Principibus porcæ compararet.

Instamus tamen immemores, cæcique furore: *Virg. 2. Æneid.*
Et monstrum infelix sacrata sistimus arce.

Sed ad asinum palmatum, tempus est regredi. *qui pag. 9.* sic porro

habet. *Nongenta illa hominum millia cæsa spatio triginta annorum miratur, imò negare præsumit Contzius, nullo veritatis historicæ momento contrario. Cui relationem in hoc etiam nostro Archiepiscopatu factam à viro quodam nobili Legato Cæsareo harumq; persecutionum experientissimo opponimus (ἐναργὸς γὰρ πίστις ἀξιοχρέως καὶ εἰς χρήσιμος μάρτυρ καὶ πολλῶν ἄρκει.) qui Cænobij Bergensis Abbati trucidatorum horum Catalogum bona fide consignatum tradidit, referente eximio quodam Theologo ἀξιοπίστῳ &c.*

Æquanimitatem vestram compello iterum, Senatores Magdeburgenses. si propter calumniæ suspicionem repelli potest accusator *l. alij propter suspicionem. ff. de accusat. can. accusatio quæq; 2. q. 7.* & vindictam ex lege talionis iuta non inprobant si quis delicta non probet *c. qui calumniam & seq 5 q. 6.* magisque puniendus, qui sacratam personam, quàm aliam calumniatus est *c. 1. de calumnia c. omne 22. q. 1.* illi palmato Asino vestro, qui tot homicidia inpingit innocenti Pontifici, hoc genus pœnæ saltem infligite, vt clitellatus in modum quem diximus, ex lege Charondæ, mytho coronetur, perque vibem, pervulgato olim supplicij probro, circumtrahatur, suspensis, de collo, infamibus illis lapidibus quos prope curiam vel forum, in vibibus asseruari moris est nonnullibi. Verba Adami Contzeni, vti illa superius adscripta sunt, sic habent. *Hanc iniquam est accusationem res ipsa docet. neque enim eos omnes Papa occidi iussit, neque tam multi sunt Sed non fuisse sanctos altissimi, cum plerique fuerint Caluiniani, hos autem non fuisse martyres ipsa palma se. ularis docet.* &c. Quid contra palmatus Asinus? *Nongenta illa hominum millia cæsa spatio triginta annorum miratur, imò negare præsumit Contzius*, inquit, *nullo veritatis historicæ momento contrario, sed solo impudentiæ scuto confisus.* Æquitatem vestram hic antestor, viri Senatores. Pædagogus ille vester pædidissimus putat non sibi incumbere, vt fidem dictorum suorum liberet veritate historica: nempe quòd nongenta illa hominum millia sint cæsa spatio triginta annorum, à Romano Pontifice: sed credit, quòd Adamus Contzen, negans illa millia, à Pontifice Romano cæsa, teneatur fide historica probare, non tot millia esse interfecta. Audite quæso, quid pro eodem suo delirio afferat pag. 27. his verbis: *fides historica hactenus respondet, & respondebit, donec contrarium, fides sincera, non Iesuitica, ficta ac ementita, dignisq; documentis monstrauerit aduersarius*; (Contzen) *cuius nudas ac nugatorias plane improbationes nihil moramur.* Itemque *pag. 32. n. 7. Altera iniqua*, inquit, *accusationis causa est, inquit Contzius, quòd non tam multi sint cæsi. Causam audio, fundamentum causæ, & dicti assertionem ac demonstrationem desidero. Τὰ ἔργα πιθανώτερα τῶν λόγων: hac si dederit, fidem meretur negatio; sin minus, feret repudium.*

Vide Diodor. Sicul. l 12. Bibl.

Num. 1.

Ω τεάγε τῶν λευκῶν ἀιχῶν ἄνερ.
Εἰπέ μοι ὦ κορυδῶν, τίν' ἀι βόες; ἢ ῥὰ Φιλώνδα:

O caper, ô gregis hirsuti vir.
Θεόκρ. εἰδ. δ'.
Dic mihi ô Coridon, cuium pecus? anne Philonda?

Quid facias huic inanilogo flagritribæ? Aiacem, hunc cum vides, ipsum vides; pro Vlysse porcos iugulantem. An ipsi, ante hunc vidistis, Viri Senatores, alium, qui tam multis laruis stimularetur, atq; elleborosus iste vester nugipolyloquides? Scitis, Viri Consultissimi, quòd onus probandi ad eum pertineat, qui asserit, vel allegat, siue actor sit siue reus *l. 2. l. ab ea parte. 5. l. quidam. 15. l. verius. 21. l. eum qui. 22. ff. de probat.* non autem incũbat ei, qui negat: quia negantis nulla est, per rerum naturam, probatio *l. actor 23. C. de probat. c. quoniam contra 11. de probat.* cum iudex non nisi probata sequi debeat, & non, nisi de quibus apparet, iudicare possit; *l. illicitas. §. Veritas. ff. de offic. pras. l. quidam. ff. de reb. credit. l. 2. Cod. de edendo.* Scitis quòd probatio debeat esse, quæ directè fit, de iis quæ probanda sunt: nec aliter recipienda sit: *l. matrem tuam. & l ad probationem. 21. cum l. sequẽti 22. C. de prob. l. 2. Cod. de ingen. manum.* maximè in criminibus; in quibus probationes requirũtur luce meridiana clariores *l. fin. C. de probat.* Quod adeò obtinet vt Iudex non possit omittere vel prohibere necessarias probationes: partim quia debet iudicare secundùm allegata & probata, vt leges iubent: *l. illicitas. §. veritas. iam dicto c. iudices. 3. q. 7.* partim quia est de iure diuino & naturali, vt in ore duorum vel trium stet omne verbum; *Matth. 28. c. nouit. de iudi. ib.* At verò quid Asinus ille vester palmatus? cum secularem Pontificis tyrannidem probat, dicens quod Pontifex Nongenta hominum millia, spatio 30. annorum occiderit: & illud negat Adamus Contzen; vult ab ipso negante probari, non esse occisa tot millia à Pontifice.

Et sectum Vitulo caput ablatura superbo
Bassaris, & lyncem Manas flexura corymbis,
Euion ingeminat. Pers. sat 1.

Opponit negationi P. Adami Contzeni, relationem cuiusdam, vt ait viri nobilis Legati Cæsarei, &c. vertigine lymphatissima animal, externa quadam specie hominem referens, neque nomen Legati exprimit, nec Abbatem edit; nec Theologum suum prodit.

Nimis velim improbissimæ pecudi malas edentauerint

Halenses ambubaiæ quædam. An illud hominis propudium credat, nos sibi illa dicenti fidem habere; qui, vt hominem, illa parte rationali,

qua homo est, illum esse iudicemus, non adducimur vllo rationis vestigio?

Méne huic confidere monstro?

pag 9. Si oret, vt nihil sibi credam, id nolim credere. Pergit tamen furere: *Quam fidem*, inquit, *si perfidus infirmare instituerit, domi suæ Iesuitam consulito, & inspicere iubeo illud, quod Guilielmus Rossæus cap. 6. libri de iusta Reipublicæ Christianæ in Reges impios & hæreticos autoritate pagin. 408. refert, & referendo approbat: Plures Gallos infinitè in Hugonoticis illis bellis, quàm in Anglicis vel Hispanicis cæsos fuisse. Toto enim tempore, quo inter Francisçum primum & Carolum V. acerbissimè pugnatum, ducenta tantùm millia, ex vtraque parte interfecta: at in Hugonoticis bellis, ex solis Gallis decuplo plures intra decem annos cecidisse.* Et subiungit Colignij testificationem, *quod in seditionibus sui temporis, vicies centena millia Gallorum fuerint occisa. Quibus si particulares clades, & in Belgio vniuerso ad vngat Contzius, numeri huius non modò complementum, sed auctarium crudo aliquod abundantissimum est habiturus.*

Animaduertitis, non sine indignatione etiam crediderim, quæ vestra est prudentia & integritas, Viri Amplissimi & Consultissimi; qui homines non rarò, in omnes Antiquæ Religionis Catholicæ principes, gentemq; omnem Christianam, ac totum nomen qui prisci debacchentur: quando quidem & ille pædagogus Vester, sic, vt ipsi non dicam manibus, sed pedibus tangitis, insanire, quàm nihil in Pontificem dicere maluit. Feciſſet ille domi suæ; & sui tergi fiducia, non tam illi stipiti succenseretis: sed quod Amplissima & consultissima nomina vestra, suisillis sterquiliniis inquinauit, an inpunè illud ipsi velitis licuisse, penes vos esto arbitrium. Rossæum, pro sua causa palmatus Asinus citat. ipsi, per salutem vestram, qua licet à publicis occupationibus, consulite scriptorem illum, & fustuarium solidum decerneris asino palmato, vt lumbifragium auferat. Narrant scriptores Catholici, inter illos Rossæus, quàm fœdè Regnum Galliæ dilaceratum fuerit, horrenda ac penè incredibili inpietate & crudelitate Caluinistarum, quos Hugonotos Galli vocant. sed quid hoc ad tyrannidem Pontificiam? An belli ciuilis Gallicani auctor fuit Pontifex? Quid si demus, hortatu Pontificis bellum susceptum fuisse in hæreticos Caluinistas illos? an Pontifex idcirco dicendus est Antichristus? an dicendum est, quòd Sanctos Altissimi contriuerit? Quid porrò? vnus aliquis Pontifex, pro libidine quadam priuata sui ingenij, mouerit inter Principes Christianos bellum aliquod? an illud est inputandum alicui successori, qui tam abhorret ab omni bello,

bello, quàm Lutherus vester à Leone decimo? An, quia Lutherus fuit ingenio turbulento, idcirco fas mihi sit dicere, omnes qui Lutherum sequuntur, esse tam inquietis & seditiosis animis homines? Abstinebo à tam grandi inuidia; quam inpingerem multis pacatioribus, & quietis publicæ amantissimis magistratibus, quibuscum pax est stabilita in Germanico Imperio. Quod de Lutheri ingenio dixi, ne quis temerè à me dictum putet, vnum eius specimen edo, ex quo, ceu ex vngue leo, sic diiudicari possit, quid spiritus Euangelici efflarit Lutherus, in ipsis sectæ suæ rudimentis. Rotunda Sleidani verba sunt, quibus vt plasticen Lutheri, quam supra exscripsi, sic eius indolem exprimit: *Themata*, inquit, *quædam eius* (Lutheri) *prodierunt, quæ disputauerat aliquando, de tribus hierarchiis, ecclesiastica, politica, œconomica, quas Deum ait instituisse contra furorem Diaboli: pontificem verò prorsus ab ijs omnibus excludit, quòd euangelium damnet & opprimat, quod leges omnes iuq; ciuile sibi subijciat, quòd matrimonium prohibeat quibus ipsi videtur. itaq; bellua illam esse dicit, quæ per Germaniam ab vrso simul & lupo nomen habet. Ea nihil est, inquit, efferatius, nihil truculentius. quapropter, vbi signum datur, aut rumor increbuit, mox omnes ad arma discurrunt, vt illam conficiant, quòd si fortè cauea, vel septo teneretur inclusa, loci verò præfectus aut iudex eam eximeret vel etiam defenderet, esset persequenda nihilominus: & qui persequentes impedirent, impunè violari possent: eodem planè modo, pontifici, si vim & arma paret, si bellum faciat, resistendum est, tanquam immani rabidaq; bellua, quibuscunq; sit tandem munitus auxilijs. nam qui latroni militant, aut opem ferunt, expecta edebent eius rei pramium, quod merentur.* Lib. 16 Cõment. Anno 1545.

Illis Cyclopas memorant fornacibus vsos,
Cum super incudem, numerosa in verbera, fortes
Horrendum magno quaterent sub pondere fulmen,
Armarentq; louem. Cornel. Seuer Ætna.

Sed his omissis, quæro; potueritné Senatus populusq; Gallicanus Catholicus, præeunte & belli summam gerente Rege, bellum gerere legitimum, contra Hugonotos vel ex iis, Reip. Cathol. turbones punire? Si dicis, quòd pacẽ ac salutem publicã, Catholici legitimis mediis potuerunt tueri aduersus seditiosam factionẽ Caluinistarũ; quid cædes & excidiũ illorũ exaggerantur in odium Põtificis? hoc posito, inquã, fuisse instinctu Pontif. bellũ à Catholicis susceptum, in exstirpationem Caluinistarum. Si respondes, quòd Magistratus Catholicus non potuerit, in illos animaduertere: quæro quo iure Magistratus Lutheranus possit in Flacium,

cium, Maiorem, Osiandrum, & alios animaduertere? Quanquam ad alia festino, & familiaricæ Halenses illæ abjiciendæ sint: verba pono, quæ ipse asinus palmatus habet *pag.24.*

Hosce animarum, inquit *seductores, (quales Flacius, Maior, Osiander & Fanatici similes fuerunt;) & Ecclesiæ Christianæ turbatores, quando Magistratus noster, ὑπερέ τῆς τοῖς νόμοις, exemplo laudatissimorum Principum, non priscorum tantùm illorum, Iehu, 2. Reg. 10. Hiskiæ, 2. Regum 18. Iosiæ, 2. Reg. 23. sed eorum etiam, qui sub Noui Testamenti gratia rerum in orbe Christiano potiti sunt, sanctioni insuper pacificationis religiosæ, cuius sacrosanctæ meritò in Imperio Romano etiam autoritas, quo pacis publicæ beneficio religioni nostræ, (non Caluinianæ aut Fanaticæ alij) concesso, exspirante populi illa Episcoporum Romanensium in Ecclesiis Euangelicorum Principum iurisdictione, tota illa constituendæ tranquillitatis Ecclesiasticæ cura, in principes est deuoluta, satisfacturus obseruat, & per idoneos censores, in religionem ac fidem vel falsam atque hæreticam, vel suspectam, ad certa capita inquisitione facta, & vt de pio in veritate consensu constet, cõsentientium documentis litis & consuetis, dissentientium verò vel institutione mansueta, si se dociles præbeant, vel, si præfracti & contumaces esse pergant, correctione debita efficiens, animaduertit; nouum certè aut insolens quicquam hac in parte moliri dicendus est minimè, & cætera.*

Ex inconcinnissimo isthocce tetricarum intricatissimarumque imparilitatum stribiliginumque cinno hoc extricamus, quòd agnoscat pædagogus Halensis, ius esse Magistratui, correctione debita animaduertere in seductores animarum, pacisque Christianæ perturbatores: quodque ex beneficio pacis publicæ, quod Lutheranis concessum est, exspirarit papalis illa Episcoporum Romanensium iurisdictio, in Ecclesiis Euangelicorum Principum; inque eosdem Principes constituendæ tranquillitatis Ecclesiasticæ cura deuoluta sit. Agite itaq;, Viri Magdeburgenses, ne quid impune sit illis, qui pacem istam religionis, cuius sacrosancta, vt Halensis ex dilucido quodam interuallo fatetur, in Imperio Romano debet esse autoritas, quanta possunt maxima seditione litteraria perturbant, in modum, quem initio adumbrauimus ex lineamentis nonnullis. Quod ad pœnam verò iis infligendam attinet, qui diuersum quid, in fidei mysteriis, à recepta inter vos doctrinæ formula sentiunt & profitentur ad populum, hîc verò acriori Vobis opus est cautione, Amplissimi Domini Magdeburgenses. Demus enim præconem aliquem derepentinò inter vos exsurgere, in vestra Republica, qui non doceat eadem, cum aliis vestris Prædicantibus? vt, dicti gratia, qui doceat nequaquam vos planè certos esse posse, in salutis æternæ mysteriis?

rijs? Prædicantes vestri hominem, vt Papistam reum Papismi arguant? vt eliminentur instent? qui iudicabunt controuersiam? An vos, magistratus politicus? Atqui Iudicis Ecclesiastici iurisdictio, ex ipsa natura rei est distincta, à potestate vestra politica. Est enim magistratus vester Iuris gentium: nec terminos naturæ excedit; siue ipsum finem spectetis, ad quem subditos dirigitis, siue illa media consideretis, quæ gubernationi applicatis. Est enim finis politices vestræ, beatitudo naturalis: media sunt administrandæ politiæ, Iura ciuilia & fori vestri consuetudines. Quin & potestas Magistratus politici (quæ vtrum sit immediatè à Deo, an conferatur ab hominibus, non hic disputo:) non in hoc est à Deo vt fidei controuersias diiudicet. Vt enim Ecclesia olim, annos præterpropter trecentos efflоruit, inter maximas persecutiones, sine vllo Magistratu politico: ita & hodie possit esse, frustrà portis inferorum obluctantibus. An Prædicantes vestri iudicabunt hominem? At ille repudiabit illos Iudices, vel hoc solo nomine, quòd Actoris partes illis erunt sustinendæ: quodque nemo sit iudex idoneus in propria causa: & alius ab actore iudex esse debeat. Secundò ex vestris principijs facilè vos refutabit omnes, Magistratum politicum, inquam, simul cum omnibus vestris Prædicantibus: quia dicitis Ecclesiam errasse; errare posse, &c. Nam hoc posito, consequens est, quòd nemo mortalium inter vos habeat firmum suæ fidei fundamentum. Quin & hoc sequitur, hoc dato, quòd omnis Synodus vestra est erroni obnoxia, quòd non liceat vestris Prædicantibus, aliquem pœna excommunicationis (qua nulla potest esse grauior) proposita, ad recipiendum aliquod dogma, ceu indubitatum compellere. Ratio est, quia nullus disceptator aut litigans tenetur acquiescere illi sententiæ, de cuius inmota veritate, non potest fides certa fieri. Damnent hominem vestri Lipsienses, Tubingenses, Ienenses, Giessenses: nihil iure effecerint. Nã & olim damnarunt Lutherũ Academiæ celebriores, Louanienſ. Colonienſ. Parisienſis: damnauit collegium Cardinalium, cum Pontifice Maximo; damnauit Tridentinum concilium. Non acquieuit Lutherus. clamauit; errasse concilia, & vniuersam Ecclesiam esse erroribus obnoxiam. ad scripturam S. prouocauit. At ista profectò, non est de facto iudex in controuersiis fidei: quia est lex scripta, à qua Iudex omnis distinguatur necesse est: nec scriptura sic pronunciat, vt partes litigantium intelligant, quid de controuersia definiendum sit. non obscurum eius rei exemplum habemus in Batauis, & intestina illa fratrum Cadmæorum digladiatione duocennali. quæ quàm prosperè finita sit, nationali illa Synodo, quàm hoc anno ediderunt,

Potestas Iudicu Ecclesiasticiae ipsa distinguitur à Iudice Politico.

Ecclesia circiter 300 annos stetit absque Magistratu politico.

Iudex à lege scripta distinguendus.

runt, Scriptores Catholici demonstrabunt, qui tam multiplices nullitates, quas dicunt Iureconsult. ex ipsis actis scriptisque reciprocis, & protestationibus, finitionibus vltro citroque habitis euincent, quam multiplex, ab vna veritatis regula, est deerratio & circulatio. Interea illi, qui miseros Arminianos, nunc omni Marte & arte inferiores, sic proscribunt, viderint, qua possint conscientia illud facere, quàm diu ipsi dicunt, & aberrasse olim, à vero, Ecclesiam, & aberrare posse. Nunquam enim efficient, vt non jure possint Arminiani contendere super veritate & æquitate sententiæ, nisi probent aduersarij Sententiam istius Synodi, minimè fuisse errori obnoxiam.

Sed æquor illud hîc ingredi extra institutum est. hoc volui saltem, Amplissimi Domini Magdeburgenses, hîc obiter; extra decretum illud, quod est Ecclesiæ Catholicæ, non aberrare à vero Ecclesiam, nihil certi esse, quò quò se versent Prædicantes vestri, in fidei salutiferæ mysterijs. Ad Scripturam sacram prouocant? frustrà, inquam. omnis enim super intellectu Scripturæ est contentio. Verbum Dei est lucerna, est lux. Sic est, sed non omnis intellectus capax est illius lucis: quod patet ab omnis ævi experientia. & propheta inibi, seipsum explicans, idem docet; *declaratio*, (id est, intellectus,) *sermonum tuorum illuminat & intellectum dat paruulis.* In Scriptura, clamant Prædicantes, Verbum Dei continetur. dextro sensu, inquam. Signa, inquam, verbi diuini habemus, at verò quis ignorat, in illis esse multa ἀνάλογα, multa πολύσημα, multa συνώνυμα. & quis priuatus aliquis vnus Pygopolinices, vel plures simul, crediderint tam facilè se assequi rectum, de omnibus, intellectum, quàm Prædicans aliquis, ad quemuis crepitum, potest citare aliquem ex diuin s oraculis paragraphum? Nunquid Lutherani, Caluiniani, Mennonitæ separatim, & cæteruatim mixtimque fatentur, Scripturam non rectè percipi, sine Spiritus Sancti irradiatione? Nunquid singulatim gregatimque clamant, se rectè Scripturas ex Scripturis interpretari? at, quî fieri possit, vt vnus sit, in tam multiplici dissensu omnium à se mutuo, veritatis Spiritus? Sed ne quid à religionis Vestræ abeam professione, Amplissimi viri Magdeburgenses, & exemplo insistam, quod posui: qui doceat, vos non posse, in salutis aut fidei Vestræ mysteriis planè certos esse, hoc posito, quòd Ecclesia possit errare: qua lege à vobis conuincendus est erroris? Si ex Scriptura afferant Prædicantes vestri, firmissimum

Psal 118.

simum hoc esse fundamentum, credere istud & illud, & cætera. alter contrà, ex eadem scriptura, copias auxiliares producet; *Qui non audit Ecclesiam, sit tibi sicut Ethnicus & Publicanus*: atque ex isto loco euincet Ecclesiæ ἀπαλλάκτειαν; & iudicium dari aliud, à quo non datur appellatio: & quidem iudicium, quod ab ipsa Scriptura distinctum est. Quod si falli potest Ecclesia, quam rationem fingent Prædicantes, cur non liceat in dubium reuocare, omnes hæreses ab Ecclesia damnatas, Arij, Macedonij, Pelagij, & aliorum? cur non liceat in dubium vocare, ipsos libros Canonicos sacræ Scripturæ, quos Ecclesia finiuit Canonicos? sicut Ebionitæ omnes Pauli epistolas olim reiecerunt, vt ex Epiphanio discimus & Irenæo *lib. 1. cap. 26.* vt Marcion epistolam ad Timotheum & Titum repudiauit testibus Epiphanio *hæres. 40.* & Hieronymo *præfat. comment. in epist. ad Titum*: vt Lutherus vester epistolam Iacobi reiecit? Et quo spiritu Lutherus vester, omnia Academiarum decreta, & totius orbis Oecumenici iudicium potuit contemnere? nisi fide nobis facta de iudicio suo nulli errori obnoxio? Ergo Concilium Oecumenicum aberrat à vero, & solus Lutherus rectè sapit? Totus mundus insanit; & vni Luthero cerebrum sanum est? quæ hæc Theologia non dicam, sed fanatica sit opinio? Dicitis, non Luthero, sed scripturæ verbis inhærendum. Patientiam Vestram, Amplissimi Domini, in labirynthum præcipitatis inextricabilem. Est enim quæstio, penes quam partem stet veritas, vtraque parte vtrinque, ex oraculis diuinis, eorumque intellectu, gnauiter depræliante. Dico, quòd Lutherus Scripturas legens, & malum sensum ex ijs colligens, non Verbum Dei suis scriptis edat, sed verbum proprium verbi diuini signis suppositum malè exponat. vt videatis me planè optima fide, & candore sincerissimo agere, ex ipso Luthero, & Lutheri causidico rem geram. Nec pigebit, quàm maximè, ad alia properantem, quæ affecta habeo, in vestri gratiam exscribere, quæ Sleidanus habet, & vobis, quid res sit, raptis quibusdam stricturis ob oculos ponere.

Haref 30.

Lib 14. Comment Anno 1542.

Primis annis, (Lutherus) *inter alia scripserat, belligerari cum Turca, nihil aliud esse, quàm repugnare Deo, qui nos eo tanquam flagello verberet. hoc eius Thema, Leo Decimus vnà cum reliquis damnabat. aduersarij etiam reliqui clamabant eum dissuadere bellum Turcicum. Itaque postea tum suæ sponte, tum aliorum hortatu, tractandum hoc susceptit argumentum, & Anno salutis M. D. XXVIII. edito libello, quem inscripsit Lantgrauio Philippo, sui thematis rationem, & quamobrem tum temporis, ita scripserit, exponit. Nam*

1 Lutheri mendacium 2. mendaciũ 3 mendaciũ. 4. mendacia quia putat male factũ. 5. mendaciũ. 6 mendaciũ. 7 mendaciũ.

tunc, inquit, in illis doctrina tenebris, 1) nemo de ciuili magistratu vellè docebat, quam haberet originem aut quod eius esset officium. 2) Plerique omnes, & docti quidem etiam, habebant functionem illam, vti profanam, & conscientiæ quoque periculosam: 3) hoc ipsis adeò regibus atque principibus erat persuasum à sacrificis atque monachis. 4) ideoque salutis noua subsidia sibi comparabant, in quibus facilè primum ac potissimum hoc erat, vt Missas non solùm audirent, verum etiam largitionibus in perpetuum stabilirent. 5) Cum enim suum vitagenus Deo minus gatum esse putarent, ista quærebant adminicula:

Scinit Elector quid sui esset officij, in Germanico Imperio.

6) testificari possunt hoc ipsum, qui tunc vixerunt, Principes. etenim, vt alios omittam, cum esset editus à me libellus de magistratu, Fridericus Princeps valdè fuit exhilaratus, & in deliciis illum habuit, 7) quod de suo statu certi aliquid ex eo cognoscerent. 8) Solus n. Pontifex, cum suis, regnum vbiq; tenebat; erat q; veluti numen aliquod in terris: 9) magistratus autem iacebat in tenebris neglectus, 10) & quàm

8 mendaciũ 9 mendaciũ. 10 mendac

haberet illustre testimonium atq; promissum Dei prorsus erat ignotum. 11) Volebat haberi pro Christiano Pontifex, & interim suadebat bellum Turcicum. ibi tum nata fuit, inter nos, controuersia. nam ego totus in hoc eram, vt cuiusmodi esset hominis Christiani officium, docerem. Et quia de functione ciuili nihil erat à me tum adhuc proditum literis, adulari me pontificij clamabant magistratui: nunc verò, postquã illud etiam argumentũ explicaui, seditiosum esse iactabant; cum tamen eam rem, inde ab Apostolorum ætate, præter vnum Augustinum fortaße, nemo vel perspicuè magis vel copiosè tractarit. Inter alia verò quæ tum docebam, illud etiam Christi dictum, quod est de tunica vel quenda cum pallio, deq; perferendis iniurijs, explicabam. 12) quem quidem locum Pontifex, ac ipsius tota schola planè deprauarant, & consilij esse non præcepti, vulgo persuaserunt, 13) errore nimirum longè pessimo. Cum ergò Christianum cognomen sibi sumerent; & quidem inprimis, ac nihilo seriùs Turcam præliari vellent, omnia impatientes iniuriæ, ego contrà nitebar, & illud Christi dictum secutus, hominem Christianum non resistere malo, sed omnia pati deberi, demonstrabam, & illud, quod à Leone diximus esse damnatum, thema, tunc inter alia probebam: eoq; magis id faciebam, vt Romanæ Curiæ nequitiam atque dolos detegerem. 14) Nec enim seriò pontifices agebant de bello, sed hoc vtebantur colore, quoties pecunia vellent exhaurire Germaniam. itaque meum illud thema damnabant, non eò quòd bellum dissuaderet, sed quòd nummis nostris & opibus, ne Romam perferrentur, viam intercluderet. Deinde nec tunc illud probabam, quòd nostros illi Principes ad bellum semper exstimulabant, cùm interim nulla vitæ apud nos appareret emendatio: potissimùm verò, quòd militiam hanc vocabant Christianam, tanquam in Turcas, vt in Christi aduersarios nostri pugnarent. 17) quod ipsum tamen

11 mendac 12 mendac 13 mendac

Habemus reum confitentem

Animus cudendi dogmata

14 mendac.

Dolum, si quis fuit, detestamur maximè

Quia de occultis hic iudicat Lutherus, duo mendacia

à Chri-

penimus Egregia Lutheri dogmata. Quasi imputandum sit, quòd Germanorum mores mali essent. 17. mendacium.

à Christi tum doctrina, tum nomine discrepat. 18.) à doctrina quidem eo, quòd ille nos resistere malo, vel iniuriam vlcisci vetat: 19) à nomine verò, quod in tantis copijs, vix quinq; fortasse reperire liceat verè Christianos; 20) & quòd plerique sint Turcis deteriores, cùm tamen interim sibi nomen, illud omnes usurpent: 21) quæ sanè res ad iniuriam Christi pertinet, 22) quando nimirum ipsius nomen ad hunc modum deformatur. 23) quod tunc inprimis fieret, si bello pontifex etiam interesset & Episcopi. 24) Cum enim ipsorum sit peculiare munus, verbo Dei Satanam & precationibus oppugnare, minimè decet, vt ea negl. & statione, machinis & armis rem gerant. Hæc Sleidanus. Habetis, ni fallor, Amplissimi domini Senatores, istiusmodi hîc orationem, vt mihi vestra pace ac venia, quod de Cn. Lentulo Salustius olim dixit, illud de Luthero hîc liceat; Perincertum esse, stolidiorne fuerit, an vanior. Et quid dissimulem? verbis inueni Lutherum vbique præscatentem, id est verba dare, sine vllo, vt leniss imè dicam, ingenij negocio cum profundissima desperatissimaq; securitate: vt scribẽs plerumque videatur scribere se nescire, & cœlo antiquissimæque veritati se oppedere. Et vbi non tam Pontifici, quàm quibuscunq; nominis Catholici ordinibus illudit, arrepticio quidam similem comperi, monstrosissima dogmatum teterrimorum confingere deliramenta: dumque per mæandros illos circulares lymphatissimæ discurrit suæ temeritatis & arrogantiæ, adeò suimet cerebri incompotem, vt nesciat ẽt se nescire quæ dicat: Et ille nobis, rẽ Theologicã, omniaq; eius mysteria, nulli fuisse vlli magis explorata, comperta, quàm sibi persuaserit? aut mendacijs dibullions nugalibus, inaniarum purulentissimarum fuligine, lucem illam obnubat sanctissimæ sereniss imæq; vetustatis? Vt non hîc diducam me, in copiosioti omnium illorum mendaciorum, quæ enumerauí, refutatione, dico vos ipsos, quid rei sit, facilè manu attingere. Nam quomodo hæc, quæ disseruit ibi Lutherus, cum illis congruunt, quæ supra, ex eodem Sleidano citaui, ex alio quodam eiusdem Lutheri classico; quo signum dat, non aliter cum munibus animis armisque concurrendum esse, aduersus Pontificem, quibuscunque sit tandem munitus (Imperatoris aliorumq; Regum ac Principum) auxilijs; atq; ad opprimendam belluã, quę ab vrso & lupo simul nomen habet. quæ si forte cauea vel septo teneretur inclusa, loci verò præfectus aut iudex eam eximeret vel etiam defenderet, esset persequenda nihilominus; & qui persequentes impedirent, impune violari possent. Quæ dogmata Lutheri si locum habitura sint in Rep. ipsi videtis, Senatores Amplissimi, quid in Iurisdictionum finium que limitibus salui sit futurum. Vernili planè dicacia, & noctu abunda oscitantia hîc dilatrat, non tantùm malo rẽsistendum esse:

18 *mend. ex Lutheri sen.*
19. *m. nd.*
20. *mendac.*
21. *mendac*
22. *mendac*
23. *mendacium.*
24. *mendaciũ, ex sensu Lutheri.*

Lib. Commens. 16.

sed etiam fugienti instandum esse, & impunè violandos esse, qui persequentibus forte velint obsistere, etiamsi locorum præfecti aut iudices ipsi sint. alibi vt diximus, à doctrina Christi affirmat discrepare, malo resistere : & belligerari cum Turca, nihil aliud esse quàm Deo repugnare.

Mirari me haud satis equidem profiteor, quî tot in errorem tam multiplicem abstulerit secum mortales, homo quantum apparet μηδὲ διὰ τῶν προπαιδευμάτων ἠγμένος. Et quis ille sit frutex, cui se purget Lutherus, hoc ipso? quia Christiani fuerint, omnis inpatientes iniuriæ, qui nihilo secius in Turcam præliari voluerint, ideò fas sibi fuisse, dogma istud tradere (belligerari cum Turca, nihil aliud esse, quàm Deo repugnare:) ad detegendam curiæ Romanæ nequitiam ac dolos? Quis non videt, nullum facilè dogma tam monstrosum fuisse, cui fucando incrustandoque non cerussam aliquam, vel colorem miscuerit hæreticus? vel quæ intestabilissimarum phantasiarum tam spurcæ laciniæ, quibus aliquam, è sacris oraculis, purpuram nequeat assuëre? Ecce vobis, hic Eliam rediuiuum, B. Lutherum vestrum; qui, docens belligerari cum Turcâ, nihil aliud esse, quàm Deo repugnare, qui nos eo tanquam flagello verberet, sacra Christi dicta, de tunica relinquenda, cum pallio, deq; perferendis iniurijs, consarcinat. quo ipso nihil aliud egit, quàm vt, non dogma illud suum probaret, ad sanctarum litterarum oracula: sed vt qualiacunque decreta diuæ legis, priuatę opinationi, sacerrimæ ancillarentur. Et cui non pelluceat hîc pestilentissimi hominis ingenium? qui ne fateretur tum se aberrasse illa sua phantasia fanatica, maluit viginti quatuor, grandissimis mendacijs, rem atrocissimam involuere: & huic fini commentum illud, Satanæ præstigijs dignissimum, à se destinatum non dissimulare, *vt Romanæ curiæ nequitiam ac dolos detegeret*. Contineo me à diro carmine, quod imprecandum, videretur fortassis, tali homini. Quid enim, tam diro commento, si qua fuit nequitia Curiæ Romanæ fuit detegenda? Si Pontifex belli Turcici prætextu Germaniam emungebat pecunijs, mala fide, an Germani Principes tam stulti, stolidi, fatui, fungi, bardi, blenni, buccones fuerunt, vt non aliter ab erogandis Pontifici Romano pecunijs cohiberi possent, quàm tali commento? nec loculos suos, quantumuis malas artes Pontificis obseruarent, & falsis prætextibus sese eludi viderent exhaurique; aliter erant contracturi, nisi persuaderentur, cum Turca belligerari, nihil aliud esse, quam Deo repugnare?

Neq; per ante disciplinas actum.

Dij talem terris auertite pestem.

Quis

Quis nescit, etiamsi vniuersam rem ærariam siue aurariam effusuri erant Germani in Romanum Pontificem, non licuisse Luthero falsum illud dogma cudere, ad inhibendam corrogationem pecuniariam? cum non sit malum patrandum, vt ex eo bonum proueniat.

Quid porro? (vt cætera non reuocem ad examen:) quæ furiarum intemperies stimulauit hominem, cum dixit errore longè pessimo, à Pontifice & tota eius schola vulgo persuasum esse, locum, de tunica relinquendà cum pallio, consilij esse, non præcepti? Quorsum leges illæ nobis, diuinæ & humanæ, de coercenda ac puniendà vi publica priuataque? quid Magistratum gladio armant diuina oracula? non asini & muli tantum, sed etiam crabrones, vespæ, muscæ refutant theologiam hanc Lutheranam. Itane omnia bona opera stricti sunt præcepti? & nullum consilij? non probabunt hæc nobis vestri Prædicantes, Amplissimi Domini; nisi vendant omnia quæ habent, & elargiantur pauperibus. quid enim illis hîc credamus, qui non tantum nihil eorum, quæ habent, in vsum diuendunt pauperum: sed etiam sat magno, à vobis, stipendio conducendi sunt, vt Lutheri dogmata vobis, in concionibus prædicent. Sed ab excursu isto, qui æquo videtur prolixior, me recipio, & cum pædagogus ille vester Halensis, dicat Magistratui ius esse, coercendi homines fanaticos, quales fuerint Flacius, Maior, Osiander, & alij: quæreretem, si quid dilucidi esset interualli in cerebro illo desperatissimo, qua ratione illud iuris non sit, penes Magistratum Catholicum? Ait Theologus celeberrimus Adamus Contzen in sua Coronide omnium Iubilorum *Anni 1617.* *Iniquam esse* (asini palmati vestri) *accusationem* (de numero cæsorum à Pontifice:) *& re ipsa deteri. neque enim*, inquit, *eos omnes Papa occidi iussit, neque tam multi sunt. Sed non fuisse Sanctos Altissimi, cum plerique fuerint Caluiniani, hos autem non fuisse martyres, ipsa palma secularis docet*, pag. 55. &c. Contra hæc Asinus palmatus tyrannidis pontificiæ secularis demonstratione apologetica *pag.* 28. sic scribit; *num.* 3. *Cap.* 20. *Pag* 190.

Papa, ait initio, non omnes eos occidi iussit: Ergo quosdam largitur. Quid audio? Papamne illum seruum seruorum, id sibi vendicare iuris, vt quenquam occidi iubeat? Scilicet id Petrus agebat, cuius successorem in cathedra se iactitat Pontifex Romanus? Hoc agit lingua Catholica, inquit Augustinus, vt spirituali gladio vtriusque testamenti, acie bis acuto interficiantur omnes, qui nos à Deo nostro volunt auertere, aliquodue infringere mandatorum. Coercere autem ac punire ad Imperatorum potesta-

potestatem pertinet. Hi dominantur: vos autem non sic. Vox est Saluatoris ad discipulum: inter quos & Petrus. Phoca ergo huic Romano oraculum illud potius conuenit:

Cede meis mensis; manibus nam sanguis adhæret.

Lib.17. c 15. Carneades olim scripturus aduersum Stoici Zenonis libros, ait Agellius, superiora corporis helleboro candido purgauit, ne quid ex corruptis, in stomacho, humoribus, ad domicilia vsque animi redundaret, & constantiam vigoremque mentis labefaceret. Non dispari molimine, quid ni videtur pædagogus Halensis accessisse ad refellenda ista, quæ Adamus Contzen mouit aduersus palmam suam. Sed infelix iste palmatus asinus, qui nesciret quid discerniculi esset inter paleam & Anticyram, pro candido, quo stomachus & venter superior vomitionibus purgari solet, nigrum helleborum, quo aluus, quæ inferior est, diluitur, accepit, & postico nidore conspurcauit chartas suas, tam fœtidum in modum, vt natium vallo decempedali opus sit, aduersus Halenses illas fæcutinas. Curarit sanè, Plinio teste, morbum comitialem Liuius Drusus Tribunus plebis helleboro. alia est cerebri humani, alia asinini medela. In media Anticyra sumat helleborum, palmatus vester, citius patefacta omni corporis via, & illa in quibus radix & fomes vitæ est, exinaniuerit, amissoque omni naturalis alimoniæ fundamento, exhaustus interierit, quàm hydrocephalum illum suum, quem diximus, curauerit. En, fidem meam libero, vobis arbitris, viri Senatores Amplissimi. Ait Adamus Contzen; *neque eos omnes Papa occidi iussit, neque tam multi sunt. Ergo*, inquit palmatus vester, *quosdam largitur*. Planè Halensi acumine, inquam. Quid si ego dicam? Asinus palmatus Halensis, non est pali dolati trecentis ictibus ad saniorem mentem reuocandus? Quid hic subsumet pædagogus Halensis? Ergo aliquot saltem ictibus inaugurandus est meliori menti? Sit sanè proba hîc consecutio: &, positis tantisper clitellis, tergum præbeat suis prætextatis, in quorum sit arbitratu, velintne tonsillis an agolis tergi fiduciam experiri; modò ne intra viginti quinque flictus, stet cutis tam asperæ læuigatio. Vel hoc modo si dicam: Asinus Palmatus non est ἀρκάδιον βλάστημα, quod stipitem aut fruticem potest recensere ab illis βαλανοφάγοις, qui se προσελήνιαίους dicebant; nec fugitiuus ille est, qui se, apud Cumanos, pro leone gessit. & subsumat pædagogus Halensis: ergo asinus ille palmatus est aliquis saltem asinus? largimur istud, inquam, & iam diu probaui, te esse aliquem: nec opus esse alio, qui tibi leonis exuvium detrahat, quo palàm fiat, qui sis frutex,

Germen Arcadium. Glande victitantibus. Ante lunam natos.

εἰμή τις ἄρα ἐξ ὑπερβορέων ἄρτι ἐς ἡμᾶς ἥκοι, ἢ ἐς τοσοῦτος κυμαῖος εἴη, ὡς μὴ ἰδὼν εὐθὺς εἰδέναι ὄνων ἁπάντων ὑβριστότα τόν σε ὄντα, μὴ περιμείνας ὀγκωμένου προσέτι ἀκούειν. Quin & si te rudentem velit audire, quisquis hospes est, hîc potest. Eia vocem palmati germinis. *Quid audio? Papamne illum seruum seruorum id sibi vendicare iuris, vt quenquam occidi iubeat? Scilicet id Petrus agebat?* Ecce, qui non potuit ex illo sesquicubitali aurium prominentium indicio colligere, ex ista voce deprehendit animal Halense. Dixi de illo genere insaniæ, quo correptus fuit Horatiamus ille;

Nisi quis sanè ab ipsis Hyperboreis hospes modo ad nos venerit, aut vsq; adeo Cumanus sit, vt qui viderit non protinus agnoscat te asinum ferocissimum esse, aut expectet, vt te rudentem audiat.

Qui se credebat miros audire tragædos.

Videmus hic φρενητίασιν non absimilem cadere, quod miremur, in asininum cerebrum. Adami Contzeni verbâ sunt, quæ ponit ipse palmatus; *neq; eos omnes Papa occidi iussit, neq; tam multi sunt:* hoc signo veluti ad paleas & mercendam suam dato, rudit asinus: Ergo quosdam largitur. Quid audio? Papamne servum; &c.

Animæquitatem vestram compello, viri Senatores Amplissimi; an liberaliori & modestiori manu à me tractari debuerit pædagogus ille; qui tam fædis laruis Eumenidum Erinnyumque induit, quicquid est ordinis sacri ac profani, in Vniuerso orbe Catholico? Ponimus, quod Pontifex Romanus, quantum in se est, occidi iubeat turbatores non tantùm iuris diuini & humani, sed etiam pacis publicæ? quis sanæ mentis hic occlamet, *Scilicet id Petrus agebat, cuius successorem in Cathedra se iactat Romanus Pontifex?* Nunquid in rebus gestis Apostolorum legimus, quòd Ananias, cum ex agri venditi pretio, fraudasset Ecclesiam, verbis Apostoli Petri repente exanimatus sit? quodque Saphira, agri diuenditi conscia, cum perstaret in mendacio, horrendâ Petri sententiâ; *Ecce, pedes eorum qui sepelierunt virum tuum, ad ostium, & efferent te;* confestim occisa sit? Nunquid in ijsdem duodecimuirorum gestis S. Paulus resistentem sibi Elymam Magum hoc fulmine compescuit? *O plene omni dolo, & omni fallacia, fili Diaboli, inimice omnis iustitiæ, non desinis subuertere vias domini rectas. Et nunc ecce manus Domini super te, & eris cæcus, non videns solem vsque ad tempus. Et confestim cecidit in eum caligo & tenebræ, & circumiens quærebat; qui ei manum daret.* Quibus bene ponderatis, prouoco ad hostem ipsum Ponficis Romani Sleidanum, vt ex illius scriptis, quicunque vel mediocri iudicio instructus est, animaduertat quàm leniter, quàm remisse, addo (& veritas hanc mihi vocem exprimit) quàm ignaue, aduersus Lutherum, à

Cap. 5.

Cap. 13.

Catholicis, negotium Catholicum, & Ecclesiæ totius gestum, initio fuerit. Vide & examina, qui cucumerem non habes pro cerebro, quid Leo decimus Pontifex scribat ad Fridericum Ducem Saxoniæ: quid Eccius Iureconsult. Wormatiæ cum Luthero egerit, de quo supra: coram ipso Cæsare: quid Archiepiscopus Treuirensis, per Væum Iureconsult. præsentibus Ioachimo Brandeburgico Electore, Georgio Saxoniæ Principe, Episcopo Augustano, & alijs proceribus? quid Theologi Parisienses, Louanienses, Colonienses? quid ipse Carolus V. de Lutheri ingenio testentur? miraberis, si non indignaberis, tam diu tolerari potuisse talem hominem. Ad me quod attinet, candidè fateor, non semel me excanduisse, toties actum cum illo homine, tam benignè semper habitum, ista arrogantia & temeritate monstrum, quod se vnum esse oculatum putabat, cæteros mortales omnes cæcutire; quod sanctorum omnium interpretum, quod scholarum maximarum, quod Conciliorum iudicia contemnebat, quod Ecclesiæ vniuersalis, morem & consensum œcumenicum, tot seculis obseruatum repudiabat. Quid multis? Non meo equidem vnius, sed orbis œcumenici iudicio,

Sleid l. 2. Comment. Anno 1520. Anno 1521. Comment. l. 3.

Danda est ellebori multò pars maxima

Horat. l. 2. Sat. 3.

illi homini, qui sua quidem concilio submittere se dicebat, modò scripturę res agere tur auctoritate. Agitur, inquã, semper auctoritate scripturæ, & legitimæ cognitioni hoc fuit definiendum, Faciatne pro te verbum diuinum, quod apertè pro te facere putas? item, velisne tu scripturam tuo sensui priuato accommodare, an sensum proprium submittere sanctis litteris? Tu quia scripturam putas id, quod est ex corrupta phantasia tua propria, an ideo erit scriptura, quod tu sentis?

Ibidem.

Cum laqueo vxorem interimis, matremq; veneno;
Incolumi capite es?

Totus orbis terrarum iudicat te scripturas detorquere ad tuum sensum. Et tu cum ad Concilium œcumenicum prouocas, stultè confugis ad scripturas, quas non alio sensu vis accipi, quàm illo, qui tibi videtur genuinus. In rem abominabilem Hybrida, qui tuo sensu fretus,

ἰλ. χ. Expectat coluber montanus ceu virum in antro, Pastus dira venena;

ὡς δὲ δράκων ἐπὶ χειῇ ὀρέστερος ἄνδρα μένησι
βεβρωκὼς κακὰ φάρμακα.

præsto-

præstolaris iudicium Concilij œcumenici. Quod si te damnabit, quid erit reliquum vel subsidij vel subfugij? Frustra tu equidem deinceps,

——ἑλισσόμενος περὶ χειῇ *Volutus circa latebrà.*

scripturam, scripturam quiritabere. De te statuet iure, vti olim de Cypriano Augustinus: *Non recipimus, quod de rebaptizandis hæreticis Cyprianus scripsit, quia hoc Ecclesia non accepit.* Sic dogmata Lutheri non accipienda, quicquid crepet scripturam, quicquid Euangelij doctrinam clamet se profiteri: quia Ecclesia pronunciat, dogmata illius esse hæretica: quia legis diuinæ oraculis malè intellectis abusus est, & sibi magis fidem haberi voluit, quàm totius Ecclesiæ vniuersalis sensui & consensui, qui nulli errori est obnoxius. *Contra Crescen. l. 2. cap. 32.*

I nunc, & talifragium metue, plagas saltem tibi prætime, & à tuis prætextatis virgidemiam, asine palmate, cum illis tuis caninis baubatibus, non esse ius Pontifici, *vt quenquam occidi iubeat.*

testiculi vena illa paterni *Pers. Sat 1.*

à Luthero est, qui Cerbera illa voce latrabat olim, ad iniuriam Christi pertinere, si essent in Christianorum castris aduersus Turcos militantium, vitæ inprobatioris homines: & in primis Christi nomen deformari, si bello Pontifex etiam interesset & Episcopi. *Cum enim ipsorum sit peculiare munus, verbo dei Satanam & precationibus oppugnare, minimè decere, vt ea neglecta statione, machinis & armis rem gerant. ciuili autem magistratui eam curam incumbere, & distincta esse officia: sed iam olim Pontifices illa conturbasse, tametsi legibus malorum prohiberentur.* Quid illa Furia voluit? nisi euersum ordinem vniuersum Ecclesiasticum & politicum? quid aliud rudit asinus palmatus? cum putat nefas esse Pontifici Romano, vt iubeat hæreticum interfici? Quis docuit illam bestiam, quod Summus Pontifex non posset ipse capitis sententiam ferre, in hominem hæreticum? Dico, quod non tantum ipse Pontifex sententiam ferre de extremo supplicio hæretici; sed etiam Episcopis illam Potestatem posset facere vt etiam manu Ecclesiastica plecteretur hæreticus, nedum sententia mortis in illum ferretur. Quòd verò non illud facit Ecclesia, non proinde fit, quòd iniustè ageret, si pæna capitis Ecclesiasticâ sententiâ decerneretur in aliquem hæreticum, vel etiam manu Ecclesiastica ad supplicium capitale procederetur, sed quia visum fuit, non decere. Nullo enim iure diuino prohibetur Ecclesia ferre sententiam de capite, eandemque exequi: sed meri iuris est positiui Ecclesiastici: *Sleidan l. 14. Cōment.* *Iure diuino non prohibetur Ecclesia ferre capitalem sententiam in hæreticos,*

in quo summus Pontifex (insaniant Lutherani, Caluiniani pro libidine:) omnium consensu dispensat. Et ab ipsa est experientia, quòd ex dispensatione Pontificis, Ecclesiastici Principes, simul etiam temporalem gladium habent: quales sunt Imperij Germanici tres Electores & alij: & Proreges alibi. Habet supremus Christianorum sacerdos indubitatè vel parem vel superiorem potestatem, quàm, qua instructi fuerunt Sacerdotes in Lege veteri. Est enim illi, à vero Deo Christo, immediatè generalis potestas tributa ligandi & soluendi; omnisque concessa auctoritas, quæ ad officium illud ritè exsequendum pertinet. Nec ab illa potestate Imperatores & Monarchæ exempti sunt. Quinetiam non desunt, qui ratione potestatis spiritualis necesse aiunt penes Pontificem Maximum esse, vel modo quodam indirecto, summam aliquam potestatem in rebus temporalibus: qua Reges & Principes, in ordine ad spiritualia, in officio contineri possint, metu excommunicationis, & eorum quæ illam comitantur necessariò: probantque illud instituta Legis veteris ac nouæ mutua comparatione. Legimus enim Saulem Regem, à Samuele initiatum suo Regno, & eodem exutum: eiq; Dauidem substitutum. 1. *Reg.* 15. *&* 16. Sic Elias, Dei nutu Reges suis Regnis inaugurauit, & solijs suis deiecit, non tantùm in Israele, sed etiam in Syria: 3. *Reg.* 19. Elisei iussu, quidam è filijs prophetarum, Iehu Regem constituit, & Rex Ioram interfectus est: tum etiam septuaginta filij Achabi & quadraginta duo fratres Ochoziæ cæsi fuerunt. 4. *Reg. cap.* 9. *&* 10. Athalia iussu Pontificis Ioiada occisa, & Ioas filius Ochoziæ in Regem creatus est 4. *Reg.* 11. Oziam Regem temerè sacerdotio se ingerentem Azarias Pontifex sceptro suo priuauit, & Ioathamum filium Patri substituit, 2. *Paral.* 26. Ieremias Propheta & sacerdos potestatem à Deo accipit super gentes, & regna: vt euellat, destruat, disperdat, dissipet, ædificet, plantet. Quin & Ahias Silonites Regno Dauidis, decem tribus ademit, & Ieroboamo assignauit: 3. *Reg.* 11. Machabæique Pontifices fortissime bellum gesserunt cum Rege Antiocho. Ex quibus contendunt hoc effici, vt nulla sufficiens ratio dari possit, qua demonstretur, Principem temporalem Pontificis supremi non subiacere Potestati, in ordine ad spiritualia: multisq; Catholicorum argumentorum copijs, tàm valida rationum manu illud asserunt; de qua meã sententiã hîc ferre non institui. Illud saltẽ hic ausim; quòd nõ tantũ mirâ sint αγραμματησία homines, sed nec minus effrontes sint, q̃ negãt à Pontifice, capitis pœnã decerni posse, in pertinacẽ hæreticũ, q̃ sus est Bęotica. Ac de statu politico quid sentiendũ sit, quatenus causæ religionis, & politiæ sint connexæ, clarissimus Theologus

Ierem. 1.

Illitteratura.

Ada-

Adamus Contzen libro primo de pace Germaniæ, & Coronide omnium lubilorũ c. 54. tã neruosè ac fusè demonstrauit, vt nullius Lutherani debeat tãta esse crassities, quæ ex iis erudiri nõ debuerit; nisi pelle quadam palmari asini inuolutus sit: qui ex tot scriptis, viri celeberrimi nomen asinino illo cerebro capere non potuit, & pro Adamo Cont ẽ, vbi ; scribit Contzium. De altero perspicuum est, lege diuina omninò interficiendum esse, qui conatur alios à cultu veri Dei auertere. Quid Theologorum scripta de puniendis hæreticis recenseam? quid constitutiones ciuiles Imperatorias? plenus est titulus Codicis, de Hæreticorum pœnis: ac paulò post obitum S. Augustini, Valentinianus & Martianus ita sanxerunt. *Nemo huiusmodi libros & sacrilega scriptorum audeat monumenta seruare. Quod si quisin his criminibus fuerint deprehensi, perpetua deportatione damnentur. Eos verò qui discendi studio audierint de hæresi disputantes, decem librarum auri iubemus subire dispendium. Vltimo etiam supplicio coerceantur, qui illicita docuerint aut tenuerint. Omnes verò huiusmodi charta & libri incendio concrementur, vt ficinerosa peruersitatis vestigia flammis combusta depereant.* Et constat istiusmodi leges ciuiles, nunquam à sanctissimis Episcopis improbatas. Cum Donatistæ aliquot, in Africa supplicio vltimo puniti essent, à Macario Prætecto, & eius sectæ homines proinde Ecclesiam Catholicam vt sanguinariam criminarentur, causam Macarij scripto publico defendit Optatus, quem S. Augustinus *lib. 1 contra Parmen.* Venerabilis memoriæ & Catholicæ communionis Episcopum, neque S. Ambrosio disparem vocat; S. Fulgentius quoque *l. 1. ad Monimum*, Sanctum vocat nec minus fidelem Pauli interpretem fuisse tradit, quàm aut Ambrosium aut Augustinum. Præter Optatum, quoque S. Leo *epist. 91. c. 1 ad Turbium*, dilertim affirmat leges quæ pœna capitali & gladio, non solùm auctores hæresium, sed etiam pertinaciores quosdam discipulos puniunt, adiuuare Ecclesiam. Augustinus ipse libro secundo retractationum, priorem sententiam, qua Hæreticos ad fidem non cogendos censuerat, se mutasse non dissimulat, victum veris & exemplis, qui coacti ex Donatistis optimi Catholici euaserint. Idem pluribus locis *l. 2. contra Petilianum c. 82. 83. 84. & alibi affruit.* Quod si quæras, cuius peccati pœnas dent? respondet vir sanctus, *pro sacrilegio hæretici erroris dignissimas pœnas luerent, etsi neminem violenta insania ledere auderent. Occidunt animas, affligunt in corpore, sempiternas mortes faciunt, & temporales perpeti se conqueruntur.* Et alibi; *Istos*, inquit, *atrocis quondam inimicos, pacem & quietem nostram variis violentiarum & insidiarum generibus grauiter infectantes, si sic contemneremus & toleraremus, vt nihil omninò quod ad eos terrendos & corrigendos valere posset, excogitaretur, & ageretur*

Deuter. 13.

Leges ciuiles, probata calculo Patrum Theologorum.

à nobis, verè malum pro malo redderemus. Si enim quisquam inimicum suum periculosis febribus phrenaticum factum, currere videret in præceps, nõne tunc potius malum pro malo redderet si eum sic currere permitteret, quàm si corripiendũ ligandũq; curaret? Et tamen tunc ei molestissimus & aduersissimus videretur, *quando vtilissimus & misericordissimus exstitisset.* Nec possum, quin aptem in hanc sententiam illa quæ orator aduersus Calenum habet; Hoc, inquit, interest Calene, inter meam sententiam & tuam: ego nolo quenquam ciuem committere, vt morte multandus sit: tu etiam si commiserit, conseruandum putas. In corpore si quid eiusmodi est, quod reliquo corpori noceat, vri secarique patimur, vt membrorum aliquod potiùs, quàm totum corpus intereat. Sic in Reip. corpore, vt totum saluum sit, quicquid est pestiferum, amputetur. Dura Vox. Multo illa durior; Salui sint improbi, scelerati, impij: deleantur innocentes, honesti, boni, tota Respublica.

Cicero Phil. 8. in Fusium Calenum.

Ex quibus euincitur, quòd hæretici pertinaces, vt lupi, qui non desinunt πολλὰς ἰφθίμους ψυχὰς ἄϊδι προϊάπτειν,

Ilia.

ne impunitas illorum, plures in eandem impietatem suscitet, re ctè brachio seculari tradantur, vt legitimis supplicijs afficiantur; qui censuris Ecclesiasticis emendari non potuerunt. Etsi enim pœna excommunicationis sit grauior, qualibet temporali castigatione; tamen cum opinione hominum, quos malitia dedit in sensum reprobũ, non ratò fiat, vt susque deque habeatur excommunicatio, ad pœnas temporales, vt magis formidatas itum est. Sed quia hæretici, ab Ecclesiasticis traduntur Magistratui politico, ad supplicia; non inde sequitur, vsum vel dominium gladij non conuenire Ecclesiasticis. Solo enim iure humano vt diximus introductum est, vt clerici non vtantur gladio materiali: nec decet, vt ipsi, manu propria, homines quantumlibet facinorosos occidant, vel spiculatori mandent propriè, vt occidantur; quia *lenitas Ecclesiastica*, vt loquitur S. Leo, *cruentas refugit vltiones.* Alàs enim S. Bernardus *l. 4. de consid. Tunc & ipse* (materialis nempe gladius) *tuo forsitan nutu*, inquit, *etsi non tua manu euaginandus.* Nec quisquam est, nisi corio elephanti circumtectus, vel Halensis asini pelle cinctus, qui nihil ad Reges & Principes hoc præceptum Apostoli spectare iudicet, quod est Hebr. 13. *Obedite præpositis vestris, & subiacete eis. Ipsi enim pernigilant, quasi rationem pro animabus vestris reddituri: vt cum gaudio hoc faciant, & non gementes: hoc enim non expedit vobis.* Quam potestatem Apostolatus sui minimè dissimulat Paulus 2. Cor. 10. *Arma militiæ nostræ non carnalia sunt, sed potentia Deo ad destructionem munitionum, consilia destruentes, & omnem altitudinem extollentem se aduersus scientiam*

Multas illustres animas præmittere ad orcum.

Ad Turbiũ Asturic. Episc.

tiam Dei, & in captiuitatem redigentes omnem intellectum, in obsequium Christi, & in promptu habentes vlcisci omnem inobedientiam.

Atq; ex istis abunde vobis constare arbitror, Viri Amplissimi, quid de Pædagogo Halensi Vestro vobis habendum sit, quibus si ad mentem saniorem reuocaturus sum, vt olim Thrasyllum, quem dixi, frater; qui Medicis curandum dedit feliciter, bene habet. Sin autem: & asino palmato

Nec demptus per vim mentis gratissimus error, Horat. l. 2. ep 2.

vt olim tragœdo illi fuit, ab amicis; ego ad alia recipio meliora studia, & indicabunt viri boni, an non sat ostenderim, omnibus probris, quæ inprobis viris digna sunt, digniorem esse neminem, quàm Asinus palmatus ille vester. pluribus equidem nec lubitum fuit nec decuit prosequi

lutum lenonium,
Commictum cœnum, ster quilinium publicum.

neque aliter chartæ illæ nominari debent, quas conspureauit Halensibus illis inpuritijs, aduersus nomen, vt optimi viri, sic Theologi præstantissimi, qui nullius æquè sategit, atq; vt phreneticis illis iubilatoribus sanum esset sinciput. Vestrum certè est, viri Consultissimi, seplasiarijs vestris mandare vt à potionibus instructi sint, quibus cerebrum curetur (si qua spes est, redintegrandæ valetudinis,) ne vestri pædagogi tales nugas deinceps ludificentur, garriant, quo neque pes vnquam, neque caput compareat. tum vel maximè operam intendere, ne misellam iuventutem educent homines, qui nec tanti sunt, quanti est fungus putidus. Et quoniam interest Reip. vt delicta puniãtur; *l ita vulneratus ff. ad l. Aquil. l. si longius.* §. 1. *de iudicijs. l. in delictis* §. *cum dominus. ff. de nox. act. l. Stichum aut Pamp. ff. de solut.* & pœnas ob maleficia solui, magna suadet ratio, *l. si à reo.* §. *fin. ff. de fideiuss.* vt quos maiorum exempla à malis non absterrent, pœna castiget: *l. 1. C. de emend. propinq.* vnde iniunctum est rectoribus prouinciarum, ne sinant crimina coalescere, sed puniant, *l. per omnes. C. de defens. civit.* ne facilitas veniæ incentiuum tribuat delinquendi; *c. vt clericor.* §. 1. *de vita & hon. cler.* cum magna sit illecebra peccandi spes impunitatis, vt ait Cicer. ac metu pœnę futurum est, ne quis temerè ad delinquendum prosiliat *l. si operis publici C. de pœn.* sitq; inter homines innocentia: *c. facta sunt autem leges. 4. dist.* Videte ipsi quid expediat, in bonũ vestræ Reip. Etsi enim Adamus Contzen, pro animi sui moderatione, quæ prorsus digna est religioso, remiserit odium, ex præscripto Legis diuinæ, *diligite inimicos* Pro Mil. ne.

micos vestros, benefacite ijs, qui oderunt vos: Luca c.6.c.cum in lege 23.q.4.c.inter verba 11. *q.* 1. adeoque inmunem à debitis habeat pædagogum vestrum, vti petit à Deo sibi condonari, quæ in Deum fortè committit; *Matth.* 6. tamen cum iuris interpretes, non immerito remissionem vindictæ separauerint à reparatione iniuriæ, adeò vt qui remisit iniuriam, non proinde censeatur remisisse satisfactionem, & damna, vt Panormitanus tradit *in c.1. de maledictis nu.* 8. cui adstipulantur Baldus & Bartolus *in l. si tibi. §. fin. π. de pact.* imò & cogant leges interdum, non tantùm nostram, sed & mortuorum, quibus succedere volumus, iniuriam & necem vindicare; *l.1. C. de ijs quib. vt indig. cum aliis*; nec tantùm cura sit habenda de bono nomine *Eccles.* 14. quòd *sicut luxo oculorũ lætificat animam, sic fama bona inpinguet ossa*; sed etiam crudelis sit, qui famam contemnit, *cap. noli* 12. *q.* 1. Idcircò Vos, Amplissimi viri, compellat omni meliori forma & modo, pro reparatione iniuriarum atrocissimarũ, quas effudit pędagogus Halensis, in caput suum Deo consecratum, inque pijssimam suam nostrumque omnium vniuersalem Matrem Ecclesiam. Et quamuis illum furiosum, ac Asinum palmatum diximus, & furiosus in iure dicatur, non habere animum inferendi iniuriam, nec inferre illam possit, etsi pati queat; *l.3. §.1. π. de iniur. l. qui iniur. §. verum est. π. de furt.* tum quod insania sit, miseratione dignum dicatur esse; *l. famosi π. ad l. Iul. Maiest.* tamen cum furiosis sua redeunt interualla dilucida, quibus exercẽt interdum actus, qui intellectu perficiuntur; *l. cum furiosus 39. π. de Iudic. l. patre furioso. π. de iis qui sunt sui v. l. ali. n. iur.* qualia interualla fortassis habuit, cum primum ferulæ scholasticæ illi sunt traditæ; in pœnam agit Adamus Contzen, nisi fateatur asinus palmatus sibi non fuisse quicquam interualli dilucidi, cum illa scripsit aduersus religionem Catholicam. Quin etsi is sit vester pædagogus, vt illi curatores debeant dari ex lege 12. tabularum. *l.1. π. de curat. fur.* adeoque, pro absente præsens habendus sit, *l. si vnus. §. filiofam. π. de iniur.*

Odij & vindicta remissio non præiudicat satisfactioni quæ præstanda est reparatione iniuriam.

Eccles. 3.

Horat. 2. ep. 2. lib. 2.

Nec possit rupem aut puteum vitare patentem;

tamen prorsus omni pæna non videtur eximendus, cum nouum non sit pœnas decerni in bruta animalia, *Leuit.* 20. *Exodi* 21 *c. reos* 23. *quæst.* 5. *& cap. mulier.* 15. *q* 1. *Boerius decis.* 316. *quin & furiosum, in atroci delicto, propter exemplum, puniri decet Gail. obs.* 110, *num.* 22. Vtque anseres illos, qui Gallos tanto silentio Capitolium scandentes, vt non custodes solùm fallerent, sed ne canes quidem, solicitum animal, vt Liuius ait, ad nocturnos strepitus excitarent, clangore prodiderunt, alarumque crepitu M. Manlium exciuerunt, præmiis suis non fraudatos, sic canes, quòd non latrassent, ceu proditionem molitos, suppliciis fuisse affectos legimus. Imò & annua

Bruta pænas dant.

Lib. 5.

canum

tanum supplicia fuisse postid, ex eadem causa. inter ædes Iuuentutis & Summani, & viuos è furca Sambucea pependisse persuadet Plin. Quapropter, etsi pædagogus Halensis vester stultior sit barbaro Potitio, sumq; ipse interdum ignoret nomen, neque habeat plus sapientiæ quàm lapis, tamen supplicio non careat; cum non tantùm auctore Æschine contra Ctesiphontem, Athenis lapides, ligna, ferrum, quæ lapsu hominem occidissent, exterminata sint, quo homines discerent, quale supplicium pararetur ipsis, si quid simile admitterent: sed etiam domus, in quibus crimina sunt admissa diruantur in exemplarem pœnam & delicti detestationem *l.1. C. de fal. mon.* Et ne quid minus seriò, in re tam seria finire videar, in historiola quadam non infestiua desino, quam hisce diebus misit Duaco ad me, vir vt doctissimus sic mihi amicissimus Ioannes Roberti Societatis Iesu Theologus, in appendice Epistolæ ad Academicos Marpurgenses, de Rodolpho Goclenio Iuniore, seriò delirante. Lugduni, inquit, in Gallia, ann. 1604. orto Catholicum hominem inter, & Caluinianum Ministrum colloquio, ad cæteram suam jactantiam hoc addidit Minister, & grauiter pronunciauit, se intra trimestris terminum, in D. Ioannis, maximo Lugduni vrbis templo, conciones habiturum, destructis ante omnibus, quæ ibi forent Idolorum simulacris. Ea verba Catholicus ad Proregem defert. Mox Ministro domus sua pro carcere, vadantibus eum fratribus, indicitur. Caluinistę vt Pastoris sui caput supplicio eximant, misero perfugio clanculum adornant testimonia, quibus eum insanire, & de mentis potestate deiectum furere, fidem faciant. Neque verò eis in vita & moribus audaculi Prædicantis argumenta deerant. Nam paulò ante in collegam suum seniorem debacchatus, eum, ob senilem in Catholicis insectandis lentitudinem; fallum fratrem appellauerat, addideratque eum defectionem moliri. Senex verò ob linguæ petulantem intemperiem, vicissim eum insensatum proclamauerat; & fauente seniorum consistorio, de suggestu detu bauerat. Ergo cum hi rumores joculariter jactarentur, ridentibus Catholicis, quòd hæreticus grex famæ suæ tutius consulere non posset, quàm si Pastorem suum insaniæ peruinceret: Iudex eam rem iuridicè, ex medicorum sententiis, sibi finiendam arbitratus, accitis tribus clarissimis Medicis, ad hominem adit. Post alia, rogatur Prædicans, num insaniat? Negat. Iterum rogatus, quorsum illa, de Imaginum demolitione, Thrasonica verba effutierit? respondet se Dei potentiæ & religionis suæ veritate confisum, etiamnunc sperare, futurum, vt Lugdunensis ciuitas vniuersa, intra præfixam diem, repudiata superstitione patria, Caluinismum amplecta-

Lib. 19. c. 3. & 4. & l. 10. cap. 22.

tur. Hic, cum largiorem cachinnum mouisset, in secretius cubiculum abreptus, liberum medicis sententiæ ferendæ locum dedit. Primus furere illum, & seriò insanire pronunciat; ideoque eius culpam venia dignam videri. Alter contrà, illum sensus & rationis vsquequaq; compotem, legum pœnis & suppliciis obnoxium esse. Tertius, nunc quidem illum sanum esse, ac sensatè omnia & loqui, & facere; ideoq; eius crimen, ex legibus vindicari posse: cæterum, se minimè dubitare, quin is breui furiosus euadat. Cognitor, auditis medicorum sententiis, rem omnem, ad Concilium refert. Cum autem Iudicum variarent sententiæ, alijs eum exilio, alijs suspendio damnantibus, de communi consensu ad Dominum de Refuge causa reiecta est. Qui mitiorem sententiam secutus, furiosum hominem, quòd eum non furere, contrà quàm fratres eius vouerant, constaret, æterno damnatum exilio, Nemausum deportari sanxit. Simile quid statuendum erit vobis, Ampl ssimi Domini, de vestro pædagogo, quem ego delirum, non vno modo conuici: & quicquid de illo fieri velitis, hoc saltem omninò est necessarium, vt ferulis, virgis, calamo ac papyro, instrumentis insaniæ præsentissimis abstineat; & è schola ad agnatos gentilesque rectà deducatur, qui hoc curent, vt quemadmodum Aiax olim in Veruecem gregis ductorem, quem Vlyssem putabat, sæuijsse fertur, sic asinus palmatus, in Halenses haras potiùs, quàm Iesuitas calcitret; qui Deum quotidianis ferè precibus, pro vestra salute interpellant: in quorum ordine agit R. P. Adamus Contzen eximius Theologus: & ego etsi non in illa Societate, tamen eidem multis omnibus deditissimus; vterque votum Deo vouemus pro æterna vestra felicitate, quæ nulla est extra Ecclesiam Catholicam.

FINIS.

Errores typothetæ, qui offendunt, A. lector, sic emendandi.

pag.14.lin.vlt.post dict. *nomen pro* essetũ reliqu *lege*, esset reliquum. *pag.16. lin.19.pro* ἔγγυος *lege* ἔγγυος. *pag.21.lin.10.pro* Socrate Sozomeno, *lege* Socrate; in Sozomeno *pag.32 lin.10.pro* tum *lege* tam. *pag.40.lin.27.scribe*, flagritribæ. *pag 60.lin.13 pro* idem *pone* ijdem. *pag. 63. lin. 28. post* sonant *insere* tot *& ibidem lin.30.pro* illa *lege* illam. *pag.64. lin. 11. post* nempe *inserendum* se *& ibidem lin. 13. pro* feliciter *lege* infeliciter. *pag. 71. lin.24. pro* magnos *lege* magnis *pag.74.lin 3.pro* expressæ causæ *lege* expressa causa. *pag.76.lin.11. deleantur verba* quo cognito *pag. 83. lin.24. pro* contaminati *lege* contaminatum. *pag.94.lin.10.lege* secius.